DE COMPESCENDIS ANIMI AFFECTIBVS, PER MORALEM PHILOSOPHIAM ET MEdendi artem

TRACTATVS
In tres libros diuiſus,

Nunc primùm in lucem editus, AVTORE
ALOYSIO LVISINO Vtinenſi *Medico.*

Coll. Rom. Societ. Jesu.

Indice adiecto
Eorum quæ notabiliora in opere continentur, ſatis copioſo.

12.32.D.9.

B A S I L E Æ
PER PETRVM PERNAM
M. D. LXII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

IOANNI ANTONIO SICCO *Cremenſi, Medico optimo, Aloyſius Luiſinus Vtinenſis* S. D.

QVVM penitus hominem eximere à corruptione Natura noluerit, Sicce clariſsime, ſed perpetuum in ſpecie duntaxat ſua cõſtituerit, diutius tamen ipſius prorogari uitã minimè inuidit, quinimò ratione primùm, qua duce homo ipſe meliora ſequeretur, deteriora fugeret, unicuiq; cauit. Dehinc etiam ſiquando cõtingeret, ut à ratione deficeret, quod plerunque futurum, ob eius propẽſionem à labore ad libidinem, prę uiderat, Medicorum ſtatim auxilium, ad corrigẽdos qui com-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

mitterẽtur errores, præſtò eſſe
uoluit. Quæ manifeſtè res patet
Pop. Romani exemplo, qui dũ
rationi paruit, rectam nimirũ ui
uẽdi ſibi normam præſcriberes,
Medicis potuit ad annum uſq;
ſexcenteſimum carere. ubi uerò
aucto imperio, aucta eſt etiã, &
immutata uiuendi norma, illa-
to nempe, qui defuerat prius, ua
rio rerum luxu: tunc ita medico
rũ officio indiguit, ut nullo pa-
cto uiuere abſque eorum opera
potuerit. Cæterùm nulla unq;
ita Medicis indiguiſſe ad huma
ni corporis uitam producendã,
ut noſtra hæc tempora exiſtima
uerim: tam pauci enim ſunt ho-
die qui rationis ductu gubernẽ-
tur, ut nullam rationalis animæ
uim

uim inditam homini fuiſſe ferè dicas, uſq; adeò animi Affectib. omnes obtemperant, uſq; adeò corpori incraſſando indulgent. Quo factum eſt, ut propter immodicam deſidiã, edulia, ebrietates, uenerem, nõ ſolũ paſsim Eunuchi podagrizent, atq; mulieres propter errorũ magnitudinem antequã menſtrua illis deficiant (quod tamẽ Hippocratis ætate ob uitæ frugalitatẽ rariſsimè contigebat) ſed omnia morborum genera facto agmine inuadant, interficiãtq;. Quæ uerò in humorib. aggregentur uenena in corporum perniciẽ ob animi affectus, quibus omnes ſolutis (ut aiunt) habenis nũc inſeruiunt, cùm alioqui ſummoperè

ab his cauendum ſit, cuiuſmodi ſunt hæc, ira, furor, inuidia, metus, triſtitia, neminē profectò eſſe quē lateat puto. Re igitur tantam ad calamitatem redacta, miſertam certè humani generis naturā, uir prēſtātiſsime, mihi perſuadeo, quæ hac te potiſsimùm tempeſtate excitauerit, & florere uoluerit. Nam quāuis multæ inſignes que adſint hac in urbe, quæ omnium totius terrarū orbis nō ampliſsima ſolùm, ſed & admirabilis eſt, medicorum centuriæ; Ecquis eſt tamen qui nō uideat hac te ætate talē eſſe inter ſupremæ claſsis ſupremos, ut ab omnibus omnium ordinū, nullo temporis momento intermiſſo, certatim flagiteris? Quis eſt

qui

qui neſciat ædes tuas iam oracu li loco eſſe? Semper enim undique accurrunt, qui te ardentiſsimè exquirãt, obſecrentq́;, Patricij, mercatores, artifices, aduenæ, atq; id quidem tam ſtudiosè ut propè nullus uideatur in hac urbe Medicus, præter te unum alius eſſe. Quod licet tibi fortunæ beneficio cõtingere quiſpiã ſuſpicari poſsit, quòd ea ſcilicet actus tuos omnifariam ſecũdet, tamen qui te medentem uiderit (quod mihi per biẽnium fermè contigit, dum te ægros inuiſentem, ſeptimo iam anno elapſo ita ſequerer, ut rarò à latere tuo diſcederem) id quidẽ præcipuè ſingulari eruditioni tuæ, acerrimoq́; iudicio, necnon & admira

bili cuidam ægros alloquendi, perſuadendiq; modo aſcribet. Quæ tria ita ego millies in te ad miratus ſum, ut Dijs immortales gratias egerim, quod duce te rei medicæ in hac ipſa urbe ſuſcepe rim experimenta. De comitate tua incredi bili in accedendo ad ægros ipſos, in aſsiſtendo, decedendoq; nihil eſt nunc quod di cam. De eruditione, quoniã res in immenſum procederet, ſi de omniũ ſciẽtiarum cognitione, quas ita tenes, ut ad ſingulas natus uidearis, loqui uelim, id tan tũ proferam, quod qui de Anti qua Medicina, quæ propediem cudenda dabis, omnib. iampridem expectatiſsima, uolumina tua, quib. curationes omnium

mor

morborum cõplexus es, habe-
bunt, uiderintq́ꝫ, proculdubio
iuraturos ſcio, nihil amplius in
re medica optari poſſe, abſolutiſ
ſimamq́ꝫ à te uno tandẽ redditã
medendi artem. ex quo etiã fore
minimè diffido, ut quemadmo-
dum ex fructibus egregijs ſolet
de bonitate arborum iudiciũ fer
ri, ita ex hoc tuo optimo partu
de ingenij tui mira ſublimitate
ferendum ſit. Quid de iudicio in
medendo demum tuo uerba fa-
ciam? quo internos corporũ af-
fectus perinde dignoſcere ſoles,
atqꝫ ſi intus fores. Quum igitur
tãtus ſis inter primos Hippocra
ticę medicinæ proceres, accedãt
que magna tua in me, & quæ co
tidie omnib. perſpicua ſunt, me

rita,& præterita ꝙplurima,nul
lus mihi planè eligi alius pote-
rat,cui Tractatum hunc noſtrũ
DE COMPESCENDIS ANI
MI AFFECTIBVS, abſque in
gratitudinis calumnia dicarem.
Noſtrum porrò hoc negocium
quale ſit,alij iudicẽt malo. Vnũ
illud minimè prætereundũ cen
ſeo, neminẽ adhuc neque inter
Gręcos,neqꝫ inter Arabas,neqꝫ
inter Latinos,inuentum fuiſſe,
qui ad illud tractãdũ hoc pacto
acceſſerit, cuius extẽt monumẽ-
ta.neqꝫ.n. ignoro paucula quæ
dam obiter à nonnullis tradita
eſſe de Compeſcendis animi af-
fectibus,ab alijs etiam de indu-
ſtria,inter quosGalenus fuit,cu
ius tamen quæcunqꝫ de cogno-
ſcen

ſcendis curãdisq́ animi morbis ſcripta fuere, uno duntaxat capi te à nobis cõprehenſa ſunt. Res tamẽ hæc tanti apud me momẽ ti eſt, ut humanæ uitæ proroga tionem in ſanis & ægris, quo ni hil in hoc ſeculo optabilius, nul la alia potius ratione fieri cõceſ ſerim, quàm compeſcendis philoſo phia duce, comiteq́ Medicina Animi affectibus. Nam ut quæ trãquilla eſt, diuturnior uita eſt quàm quæ turbulenta, ita quæ tran quillior eſt, quàm quæ tranquil la dicta fuit, longè diuturnior e rit. Suppoſito autem hoc, quòd tranquilla ea ſit uita hominis, in quo uel ſanũ corpus eſt, uel ani mus, nõne tranquilliorem mihi concedi eam par fuerit, in quo

tranquillus animus tranquillo
in corpore fuerit? Fieri uerò hoc
a Philoſophia, Medicinaq́ꝫ con
nexis inuicem Plato in Sophi-
ſta tradit. Nã ut animus corpori
connectitur, ita quoq; philoſo-
phia, medicinaq́ꝫ mutuas operas
præſtant. quare eas συζύγους δυνά-
μεις uocat, nimirum καθαρτικὴν u-
tranque, quòd illa corpus pra-
uis humoribus expiet, hæc ani-
mum pernicioſis affectibus pur
get, unde ſanitas animo & cor
pori ſimul cõparatur: qua in re
trãquillitas humanæ uitæ repo
ſita omnium iudicio cẽſetur be
neſentientium. Diuiſum eſt au-
tem tres in libros opuſculum,
quod quidem lõgiorem in mo-
lem admodum excreuiſſet, ſi mi
hi non

hi non ſolùm de alĳs etiam Ani
mi affectibus tractandũ propo
ſuiſſem, quam qui Galeno, quẽ
ſequimur, efficaciores ad pertur
bandum hominem uiſi ſunt, ſed
etiam ſi in his ipſis, de quibus a-
gitur, prolixior eſſe ſuſtinuiſſẽ.
Do itaque tibi, ac dico Sicce hu
maniſsime, exiguum hoc meæ
erga te obſeruantiæ ſignũ, neq;
uereor, quin aliquo apud te lo-
co Tractatus is futurus ſit: nam
ſi uerè ipſum pro ſingulari hu-
manitate tua diligis, noſtra etiã
ut diligas neceſſe eſſe arbitror.
Vale Medicorum optime, atq;
ita uale, ut diutiſsimè mortalẽ
hanc uitam agens, diutiſsimè pa
riter humanum genus adiuues,
quouſq; inepto iam laboribus

obeundis reddito corpore, ad beata demũ, quæ integerrimis tuis moribus debentur, domicilia, à Deo optimo max. traducaris. Venetijs Calendis Auguſti

M. D. L X I.

SIGISMVNDI CATANEI Papienſis Philoſophi ac Medici.

Tēporis abſtulerāt morſus monumēta Chryſippi
Affectus animi pellere docta graueis,
Ecce alium nobis noua ſecla tulere Chryſippum,
Hos magè quis profugos, quàm Luiſinus, agit?

CAPVT PRIMVM *De dignitate hominis. De cauſis conſeruationis eius, Deq́; Medici præcipuo in ea re ſtudio.*

APOLLINEM Delphicum mãdaſſe olim homini ferũt, ſeipſum vt noſſet, ea potiſsimũ ratione (cenſeo) vt is cùm pręſtantiſsimum ſe omniũ animantium cõtemplaretur, agnoſceretq́;, omni ope ac diligentia ſui cõſeruationem, ac ſanitatem quæreret. Non eſt autem noſſe homini difficile, nec quãtæ ſit ipſe dignitatis, nec quãtum ob eam ipſam incolumitati ſuæ ſtudere teneatur. Si enim ratione vtatur, qua ſolus poteſt inter omnia animantia vti, inueniet profectò ſeſe cæleſtis, terreſtriſq́; participem eſſe naturæ, duplicemq́; finem ſortitum, ſpeculationem nempe & actionem, vt illa inferiores, hac verò ſuperiores imitaretur naturas. Quo verò præſtare id poſsit adeſſe ſibi ſpeculatiuos habitus videbit, actiuoſque. Adhæc & conſiderabit non ſolùm animam ſatis fuiſſe ſibi velut vniuerſale quoddam principiũ, neque habitus duntaxat, qui in anima ſunt, ſed etiam ut actione, quæ particularis eſt, fungi poſſet, neceſ-

ſariam fuiſſe particularem virtutem, corpusque ipſum, quod quia tunc rectè ſua obit munera, cum ſuo habitu preditum eſt, qui in ſanitate conſtitutus reperitur, ob id denique ſanitati ſtudendum ſibi eſſe quàm maximè percipiet. Si quis autem poſtulet quis ſit ex omnibus, qui magis hominis ſanitati proſpiciat, ego ſanè medicum dicam. Primũ quidem, quoniam ex anatomicis ad miniſtrationibus quàmdiligẽtiſsimè ſitus omnium partium corporis humani internarum explorat, vt affectus poſtea ſingularum cognoſcat, quibus cognitis apta poſſit ſubinde ex vſu remedia tum intus afferre, tum extra applicare: deinde verò quòd quæ ad eius incolumitatem faciunt, & accommodata ſunt omnia, à nemine præterquam à Medico excogitata eſſe animaduer to, ut miniſtro tamen, inquam, non vt opifice: natura nanque opifex eſt, Medicus verò miniſter. natura itaque ea eſt quæ medicamẽta ſimplicia producit, vtpote radices, truncos, herbas, flores, germina, ſemina, folia, fructus, cortices, lachrymas, eamet tulit metallica, quæ multis modis veniũt in medicinæ vſum, prætere a & balneorum tot genera. Medicus verò naturæ famulus, & æmulator, quæ pro ducta ſunt à natura, ſũma cura, acriq; indagine venatur, vt ea cognoſcat, quibus cognitis poſtmodum rectè vti

Gal. in lib. Artis paruæ cap. 87.

etè vti ſciat. quare modò ſimplicia homini adhibet medicamenta, modò ex ſimplicibus compoſita multa comminiſcitur. Hinc pleræque confectiones, ac diuerſæ inuentæ ad corporis calefactionem, infrigidationem, humectationem, exiccationem, oblectamentum, ſolutionem, exobſtructionem corroborationem, & ad alia multa facientes. Quibus rebus parandis quis eſt, qui nõ eius diligentiam admiretur, vſque adeò iuuando humano generi addictam, vt cum natura certare plerunque, aliquando verò etiam ſuperare ipſam uideatur, ueluti cùm luxatos artus, quod natura efficere nequit, reponit? Quare cui mirum ſit, ſi Galeni temporibus Ægyptius quidã inueniretur, qui librũ ediderit, de admirabili ἀγηρασίᾳ (ac ſi inſeneſcẽtiam diceres) inſcriptum, vbi polliceretur, ſi ipſe curæ infantium, qui ad hoc eſſent idonei, ſtatim à primis exordijs preeſſet, eorũ ſe corpora immortalia redditurum. Talis etiam fuit, de quo meminit Aetius, Philippus Sophiſta, qui obedientem ſibi, immortalem fore nihilominus promiſit. De Hippocrate maximo medicinæ parente quid dicam? qui non ſolùm innumerabiles inopes homines ægritudinibus oppreſſos iuuare quotidie nitebatur, in quorum número ſunt, qui in Epidemiorum libris nominantur, ſed etiam totam Græciã

Gal. in lib. de Tabe cap. 2.

Lib. 4. cap. 96.

Gal. in lib. De Theriaca ad Piſonem.

à peſtilenti lue, ex Æthiopia in ventorum allata, Thucydidis tẽpore, magna cum gloria liberauit. quamobrem etiam aureis ſtatuis, ariſque, tanquam Deus à ſeruatis illis populis donatus eſt. De Galeno noſtro quid dicam? qui ſtructurã ipſius hominis, quem animal eorum quæ ſunt in terra diuinum ſolum appellat, ſingillatim cõtemplaturus, ſacrum eum ſermonem vocat, hymnumque ſe conditori noſtro uerum componere arbitratur, in eoque veram eſſe pietatem, ſi nõ Taurorum hecatombas ei plurimas ſacrificet, caſias offerat, aliorumque unguentorũ ſuffumigia paret, ſed ſi cognoſcat ipſe primus, deinde & alijs exponat, quanta ſit ipſius conditoris ſapientia, quæ virtus, quæ bonitas, à quibus ad tantũ adhibẽdum in humani corporis compoſitione magiſterium motus ſit. Dij immortales quas non vigilias, & excubias ſuſtinuit, vt quæ extant numeroſa admodum volumina in iuuandi hominis gratiam conſcripta nobis relinqueret. Quid verò, antequã conſcriberet, non eſt perpeſſus? Ille in Cyprum nauigauit videndorũ, quæ in ea ſunt metallicorum gratia, & in cauã Syriam Paleſtinæ partem profectus eſt, bituminis, & aliorum quorundam inſpiciendorum cauſa, nec in Lemnum contendere piguit eum vt quantum ſanguinis terræ Lemniæ admi

Gal. lib. 3. de Vſu Partium.

Gal. lib. 9. de Sim. Medic. facult.

ſceretur (audierat enim hircinũ ſanguinẽ huic miſceri ſolitum) conſpiceret. Ille quo tempore in Cypro diuerſabatur, vt diſceret quo pacto viridis & craſſa cuiuſdam lacus aqua concreſceret, fieretque chalcanthus, vbi ad terminum effoſsi ſpecus, in quo lacus erat, deſcendiſſet, parum abfuit, quin ab odore tetri aeris ſuffocaretur, tanta fuit experiendorum medicamentorum cupiditas, videre enim ipſe noua atque experiri ſemper tentabat. Vnde abſoluerat De Simplicium medicamẽtorum facultatibus tractationem ad octauum vſque librum ante annos viginti quàm nonum adijceret librũ quem non antea adiecit, quòd non prius lapides quoſdam conſpexiſſet. Prętereo ſumptus maximos quos faciebat, vt medicamẽtorum iſtorum cuiuſq; vim magnam, quæ in totam ipſius vitam ſatis forent, reponeret. Taceo diligentiam, quam in ægrorum adhibebat curis. Quid enim feciſſe illũ credemus aliàs, ſi palæſtræ peritum iuuenem ægrum ſynocha febre citra putredinẽ, quæ ex genere ephemerarum eſt, laborantem, quater in die inuiſere conſueuerat? Omitto laborem aſsiduum in conſcribendis epiſtolis, cum ſemper adeſſent, qui ex Iberia, Celtica, Aſia, Thracia, cæteriſq; regionib. curari ab eo peterẽt per literas, quas vtinã conſiliorũ myriades haberemus. Quid de

Gal. lib. 9. meth. ca. 4.

Gal. lib. 4. de locis affectis cap. 2

illius itineribus dicam? Nonne aliquando per totam noctem iter facere cogebatur vt ęgrum aliquem accerſitus inuiſeret, in quo quandoque fermè ſtadium integrum (accedebat enim diurni laboris defatigatio) dormiendo peragebat, & ſomnia videns, nec prius excitabatur quàm in lapidem impingeret? Ex his itaque abundè patet quãta ſit medicorum in conſeruando homine ſedulitas, quam naſci ab eius dignitate diximus turpe enim ſibi fore exiſtimant, ſi non rem conſeruent illam, quæ omnes alias quæcũque conſpici hîc poſsint, longo interuallo ſuperat, vſque adeò vt in affectibus etiã cõtagioſis, à quibus parentes à liberis, liberi à parentibus deſtituuntur, audeant humana corpora proximè contrectare. Quapropter & noſtrum munus eſſe huiuſmodi debet, quantum fieri à nobis poteſt, ortus enim noſtri partem patria, partem amici, vt ad Architam in epiſtola quadam ſcribit Plato, uendicant.

Gal. li. 2. de motu Muſculorum.

CAPVT SECVNDVM

De Mutua animæ et corporis ſocietate.

TRES ſunt animæ facultates, ſeu partes, vt Poſsidonius, Plato & Ariſtoteles concordes tradiderunt: vna appetendi, altera iraſcendi, tertia ratiocinandi: quæ tres etiam ſedes ſortitæ ſunt. Appeti-

tricem in iecore Plato poſuit, iraſcibilem in corde, rationalem in cerebro. Inter has porrò totius animæ facultates, ſeu partes, rationalis planè eſt immortalis, & ſine corpore permanere poteſt, vt cũ Platone Ariſtoteles ſentit, reliquas verò duas per hominis mortem interire fatemur cum Galeno ex ea quæ illis cum corpore ſocietas intercedit, & connexio. Galenus tamẽ de rationali non idem videtur ſemper ſentire: cùm enim animæ ſubſtantiam temperamẽtum quatuor qualitatum conſtituit, profectò & rationalem vult facultatem corpori ſubijci eique obtemperare. Cùm verò ignorare ſe ſe fatetur, quid ipſa ſit anima (quod etiam ſæpenumero aſſerit) non tunc quidem, & eam neceſſariò cum corpore ſimul interire ſancit. Perſuadet autẽ ſibi Galenus totius animæ ſubſtantiam eſſe corpoream, ex his præcipuè, nempe ex puerorum amentia, & ex conſeneſcentium deliramentis: præterea ex deſipientia, aut furore, aut obliuione nonnullorum qui tales euaſerũt, vel propter medicamentorum, ſeu calidorum, ſeu frigidorum potionem, vel propter prauos in corpore genitos humores, quare inquit quoad obliuio, aut amentia, aut motionis, aut ſenſus priuatio conſequitur, ipſam proprijs quas ingenitas habet, viribus, quominus operetur, impediri. Quoniam verò in-

Lib. de animorũ et corporis mutuo temperamento Cap. v.

terdum accidit vt ſe cernere quæ non cernantur,& audire quæ nullus dixerit, quis arbitratur,&aliquod obſcœnum,aut nefandum,aut penitus à ratione alienum obloquitur,id non modò ipſum adducit vt credat ingenitas animæ facultates interiſſe,verumetiam contrarias introductas eſſe, & ob id totam conſtanter animæ ſubſtãtiam corruptibilē eſſe. Quo pacto enim (inquit) ex ea quæ ipſi cum corpore intercedit ſocietate,in naturam planè contrariam tranſire poſſet,niſi aut qualitas aliqua, aut forma, aut affectus, aut poteſtas corporis eſſet? Vnde etiam à Platone, qui rationalem facultatem in cerebro reſidentem immortalem ſtatuit,petiturum ſi viueret,libentiſſimè (vt omnino diſceret) teſtatur, cur vehemēter refrigerato cerebro, aut calefacto aut exiccato, aut madefacto,anima ipſa diſiungatur è corpore:nam ſecundum Platonem per animæ à corpore ſeparationem fit interitus. Præterea cur ſanguinis copioſa euacuatio, & exurens febris, & cicutæ potus eandem diſiunctionem operentur,quo pacto anima à corporis natura penitus aliena per totum ipſum extendi valeat: cur flaua bile in cerebro nimia contracta deſipimus,atra verò,melancholia vexamur: cur pituita,& omnino refrigerãtia lethargi cauſæ ſint,vnde & memoriæ, & intelligentiæ
iactu-

iacturam facimus. cur denique omni mœrore vinum epotũ certiſsimè liberat. Hæc ſunt quę ab homine aſſeruntur, qui ſemper ſenſum comitem aſſuetus erat habere eorũ quę crediturus eſſet, ex quibus tamen ſatis confido neminem fore qui in eius vllo pacto ſententiam, ſit abiturus. Vt enim chriſticolis conſtantiſsimè nobis hæret de immortalitate animæ aſſertio, neque enim dogmatis illius ſeruatoris, ac magiſtri noſtri immemores ſumus, quod nobis ſub illis verbis reliquit: Nolite timere eos qui occidunt corpus, cum animam non poſsint occidere. Præterea nec vt Platonicis, aut Ariſtotelicis fas eſt aliter ſentire. Ex Platone quidem, quòd eum tot locis theologizans, animæq; immortalitatem vbiq; in ſuis dialogis profiteri videmus, fruſtra ego nunc locum aliquem in huiuſce rei confirmationem aſciſcerem. Ex Ariſtotele verò, quoniã Alexander in primis Aphrodiſienſis, eiuſq; ſectatores mortalitatem ex ipſius Ariſtotelis ſententia ſuſtinent, non deſiſtam verba depromere, in quibus immortalitas potius tam ex acceſſu, quàm ex receſſu, quod ſchola Philoſophorum à parte antè, & à parte poſt dicere vſurpat, determinatur. quid enim clarius teſtari poteſt rationalis facultatis immortalitatem ex parte acceſſus, quã cum in tractatione de generatione anima- Matt. ca. 10 Lib. 2. ca. 3.

lium paulò poſt,quàm de vegetali, ſenſualique anima loquutus eſt, ea verba intulit: Reſtat igitur vt mens ſola extrinſecus accedat,eaque ſola diuina ſit:nihil enim cum eius actione communicat actio corporalis.
Lib.et ca.1 Præterea in tractatu de Animalium partibus, ex eo quòd ſeparari tradit animam à corpore per hominis obitum, perpetuitatem ipſius rationalis facultatis ex parte receſſus conſtituit, dum inquit: Cumprimũ à corpore anima diſceſsit, animal eſſe deſinit. Sed vt ad Galenum redeamus,medicè omnino ſe habuiſſe illum dicamus: ars enim medica, quoniã circa ſingularia,quæ ſenſibilia ſunt,uerſatur:iccirco ſenſum medicus ſequitur in actione ſua. Quæres in eo qui nōdum Medicus eſt,ſed futurus eſt, manifeſtè cernitur:is enim cùm plantarum peritiam aſſequi ſtudet, illis prima germinatione ſolo emergentibus,adultis & ſeneſcentibus aſsidua adeſt oculorũ inſpectione,plurimas guſtat,contrectat, olfactu explorat.Perinde quoque ſeſe habet in metallicis,cæteriſq; ſimplicibus medicamentis. Cũ verò ægros inuiſit Medici comes, quo duce praxin haurit,primùmquidem totius corporis habitum oculis perluſtrat,carnoſitatem,colorem, pilos, deinde quomodo ſe habeãt corporis principia iiſdem ex ſenſibus venatur,quare cerebri diſpoſitionem
exvo-

ex voce potiſsimum deprehẽdit, cordis ex pulſu,hepatis ex lotij aſpectu: ſimili quoq; ratione ventriculi, qui totius corporis coquus, & famulus eſt,officium ab alui excrementis dijudicat . quid plura? in cognoſcendis corporis noxis, ita ſe habet, vt earum omnium ſit apud eum ſenſus iudex, non ipſa rerum natura inſpiciatur, ne in perpetuæ paſsibilitatis dogma quod ἀειπάθειαν Galenus vocat, incidat: nam re vera cum nullum ſit corpus,quod ex æquo, omnium quatuor elementorum ſit particeps (huiuſmodi enim velut ideam quandam optimæ ſanitatis animo concipimus,aut ſi eſt,ſolùm momento durat,neque enim idem ſtatus permanet, ſed aſsiduè mutatio fit ab ineuitabilib. nobis congenitis cauſis)ob id cùm à tali corpore deflectant omnia,neceſſario fit vt omnia morboſa ſint:Medicus autem ipſe ægritudinem ſenſibilibus duntaxat operationem læſionibus diſtinguit.quid mirum itaque ſi Galenus in diſſectionibus humanorum corporum toties verſatus,non inuẽta aut viſa,vt fortaſſe volebat,rationali anima inter ſanguinem,atque arterias,muſculos, panniculos,aliasque huiuſmodi partes, in eam ſententiam deuenit, vt ipſam commori cum vegetali ac ſenſuali affirmarit:præcipuè verò cùm profiteretur nihil ſe vnquã

Lib. Artis medicinalis cap. 8

credidiſſe, prҫterquàm quòd ſub experimẽtum veniret, quod idem eſt, ac ſi dicas id quod ſub ſenſum caderet: experientia nanque eſt obſeruatio & memoria eius quod viſum eſt vt ipſe definit in Tract. ad Thraſibulum. Ne quis autẽ credat à me ipſo Galenum ἄπιστον fieri, ſatius eſt vt nos ipſum de ſe quodam loco dicẽtem audiamus. Confiteor, inquit ille, vitium, quo per totá uitam inquinatus fui, quòd nulli fidem adhibuerim, priuſquam etiam ipſe eſſem expertus ea quæ ſaltem poſsibile erat in experientiá venire. Hæc itaque pro tuenda veritate dicta ſufficiát, debeo enim Galeno, debeo arti medicæ, ſed veritati debeo magis: nunc ad affectuum tractationem veniamus.

Lib. de optima Secta, cap. 11.

Libro 1. de Seruitute in principio.

CAPVT TERTIVM

De Definitione affectus animi, De generibus affectuum ipſius, De partibus ſubiectiuis generum, De origine affectuum, Demum de controuerſia inter Stoicos et Peripateticos circa affectus definitionem.

QVÆ Græci πάθη, & παθήματα vocát, nobis affectus appellantur. Apud Rhetores affectus ſignificant partem illá perorationis, in qua orator conatur mouere iudicum animos, atq;

Quintil. li. 6. Rhetoricorum.

atque in eum, in quem vult, animum forma re, & velut transfigurare, quod vultu, geſtu voceque conſequitur, & ſæpe producẽdo ante iudices eos qui periclitantur ſqualli- dos & deformes, & liberos & parentes ip- ſorum, quæ res ad defendentem oratorem pertinet. Ad accuſatorem verò pertinet, vt oſtendat gladium cruentum, quo patratũ eſt homicidium, & lecta è vulneribus oſſa, & veſtes ſanguine perfuſas, & vulnera reſo luta, ac verberata corpora nudata, & reli- qua huiuſmodi. Sed nos de affectibus inſti tuimus agere, non ad perſuadendũ vt Rhe tores, ſed ad animi perfectionem, vt Philo- ſophi, & ad corporis ſanitatem, vt Medici. In quibus explicandis veterẽ illam Pytha- goræ primùm, deinde Platonis deſcriptio- nem ſequemur, qui animum in duas partes diuidunt, alteram rationis participem faci- entes, alteram expertem: in participe ratio nis ponunt tranquillitatem, id eſt placidã, quietamque conſtantiam, in illa altera mo- tus turbidos cõtrarios, inimicosque ratio- ni. Vtamur tamen in his deſcribendis affe- ctibus Stoicorum definitionibus, & parti- tionibus, qui mihi videntur in hac quæſtio ne vberrimè verſari, poſtea & quid ſentiãt de his Peripatetici videbimus. Eſt igitur Zenonis hæc definitio, Affectus (pathos in quit ipſe) eſt auerſa à recta ratione contra

naturam animi commotio, Quidam verò breuius, affectum eſſe appetitum vehementiorem dicunt, ſed vehementiorẽ eum volunt eſſe qui longius diſceſſerit à naturæ conſtantia. Galenus quoque Zenonis adhærens ſententiæ, affectum vocauit animi motum, rationi non obedientem. Quoniã verò omnis affectus eſt animi motus vel rationis expers, vel rationem aſpernans, vel rationi non obediens, isque motus aut boni aut mali opinione citatur tam præſentis quàm futuri, bifariam quatuor affectus æqualiter diſtributi ſunt. duo enim ſunt ex opinione boni, vtpote vel præſentis, vel futuri: totidem ex opinione mali, ſimiliter vel præſentis, vel futuri. Affectus ex opinione boni præſẽtis lætitia eſt, futuri verò libido. Affectus autẽ ex opinione mali præſentis ægritudo eſt, futuri verò metus: quæ enim veniẽtia metuuntur, eadẽ efficiũt ægritudinẽ inſtantia. Lætitia & libido in bonorum opinione verſantur, cùm libido ad id quod videtur bonũ illecta & inflãmata rapiatur: lætitia vt adepta iã aliquid cõcupitũ efferatur & geſtiat: natura enim omnes ea quę bona vidẽtur ſequuntur, fugiuntq; contraria. Quãobrẽ ſi ſimul obiecta ſpecies cuiuſpiã eſt quod bonũ videatur ad id adipiſcẽdum impellit natura ipſa, id cũ conſtãter, prudẽterq; fit eiuſmodi appetitionẽ Stoici βουλὴν appel-

Lib. 4. de Placitis Hipoc. et Platonis.

appellát, nos appellamus voluntatem, quã ſic definiũt: Voluntas eſt quę quid cũ ratione deſiderat, quæ autem aduerſus rationẽ incitata eſt vehementius, ea libido eſt effrenata. Plures autem eiuſdem generis partes in ſingulis affectibus ſubijciũtur, verbi cauſa lætitiæ, maleuolentia lætans alieno malo, delectatio, iactatio & ſimilia. Libidini ira, excandeſcẽtia, odium, inimicitia, diſcordia, indigentia, deſiderium, & cætera eiuſmodi. Ægritudini ſubiecta ſunt inuidia, æmulatio, obtrectatio, miſericordia, angor, luctus, mœror, ęrumna, dolor, lamentatio, ſolicitudo, moleſtia, afflictatio, deſperatio, & ſi qua ſunt de genere eodem. Sub metũ autem repoſita ſunt pigritia, pudor, terror, timor, pauor, exanimatio, conturbatio, formido. omnium porrò affectuum fontẽ eſſe dicunt intemperantiam, quæ eſt à tota mẽte, & à recta ratione defectio, ſic auerſa à pęrſcriptione rationis, vt nullomodo appetitiones animi nec regi, nec cõtineri queát. inflammat hæc, conturbat, incitat omnem animi ſtatum inimica temperátiæ: ea enim potius ſedat appetitiones, & efficit vt hę rectæ rationi pareant, conſeruatque conſiderata iudicia mentis. Et quemadmodum oculus conturbatus non eſt probè affectus ad ſuum munus fungendũ, & reliquæ partes, totúmve corpus cùm à ſtatu eſt motũ

officio ſuo &muneri deeſt, ſic conturbatus animus ab intemperantia, non eſt aptus ad exequendum munus ſuum, munus enim animi eſt ratione bene vti, atq; ob id in morbos incidit, nam ſicut cùm ſanguis corruptus eſt, aut pituita redundat, aut bilis in corpore, morbi, ægrotationesque naſcuntur, ſic opinionum prauarum quæ ab intẽperantia ortum habent conturbatio, & ipſarum inter ſe repugnantia ſanitate animũ ſpoliat, morbisq; perturbat. Sed nimium operæ fortaſſe conſumeremus, perinde ac fit à Stoicis, maximè à Chryſippo, ſi lógius proueheremur, dum morbis corporũ compararemus morborum animi ſimilitudinẽ. Verùm non eſt adeò ſtoicè agendum in affectuum pertractatione, vt Peripateticorũ in hac re opinionem ſilentio dimittamus, diſſentiunt enim inter ſe, nam cum Zeno vocet affectus animi commotiones contra naturam, Ariſtoteles cõtrà Peripateticorũ princeps teſtatur eos, neque virtutes eſſe, neque vitia, quorum quia neutrũ naturale eſt, eoq; neutrum à natura ineſt nobis, ob id velle illum ſic loquentem tenendum eſt, affectus naturales eſſe, & ingenitos nobis, probat autem quadrifariam quòd neq; virtutes neque vitia ſunt. Primùm quidem, quia ſecundum eos non dicimur boni vel mali, ſecundum virtutes autem & vitia dicimur.

Lib.2.Ethicorũ cap.5

cimur. Deinde quia ſecũdum affectus nec laudamur, nec vituperamur, non enim lau datur (inquit ipſe) qui timet aut iraſcitur, neq; vituperatur qui ſimpliciter iraſcitur, ſed qui certomodo, ac ſecundum virtutes & vitia laudamur & vituperamur. Tertiò quoniam affectus ſunt in nobis ſine electio ne, virtutes autem electiones quædã ſunt vel non ſine electione. Demum verò quòd ſecundum affectus moueri dicimur, ſed ſecundum virtutes, & vitia non moueri, ſed certomodo diſpoſiti nuncupamur. Animaduertendum autem eſt Ariſtotelem, præterquàm quòd naturales vult eſſe affectus, illis verbis, id etiam velle, nempe vt modũ quendam in affectibus adhibeamus, quem vltra progredi non oporteat, atque ad hoc referenda ſunt verba illa, in quibus habet, non laudari quenquam qui timet aut iraſci tur, neque vituperari qui ſimpliciter iraſcitur, ſed qui certomodo. At qui ſeſe Stoicis addixerunt, negãt modum vllum poſſe adhiberi affectibus, etenim ipſos ſeſe impelle re dicunt, vbi ſemel à ratione diſceſſum eſt ipſamque ſibi imbecillitatem indulgere, in altumque prouehi, nec reperire locum con ſiſtẽdi, perinde ac nec qui ſunt in lubrico, incitatique ſemel procliuè labuntur, ſuſtinerique nullomodo poſſunt cum velint. Atque in medium afferuut exempla nonnul

lorum qui mediocritatis fines in affectibus nonnullis exceſſerunt, qualem P. Rutilium memorant fuiſſe in affectu triſtitiæ, qualē Agamemnonē, & Achillem in affectu iræ, qualē Athamantem, Alcmeonem, Aiacem, Oreſtem in affectu furoris, qualem Medeā in affectu cupiditatis, neque meminęrunt ſeſe, dum hæc dicunt, minimè ſibijpſis conſtare, quando in eiſdem libris, in quibus talia obijciunt exempla, fatentur modum dictis affectibus adhiberi poſſe: Socratem enim quem illi toties illic nominant vnum inter alios huiuſmodi ſeſe præſtitiſſe affirmant. dicunt enim, cùm multæ illi & triſtitiæ & iræ occaſiones Xantippes peſsimæ vxoris cauſa orirentur, ipſi tamen vultum ſemper eundem & domo exeunti & reuertenti domum fuiſſe, quod dicitur Xantippe prędicaſſe ſolita in viro ſuo Socrate: prę terea in affectu cupiditatis, cæteriſq; alijs, multa in conuentu vitia collegiſſe in eum Zopyrum, qui ſe naturam cuiuſque ex forma proſpicere profitebatur ſcribunt, qui cùm à cæteris derideretur, qui illa in Socrate vitia non agnoſcerent, ab ipſo Socrate ſubleuatum fuiſſe, cùm illa ſibi ſigna ineſſe, ſed ratione à ſe deiecta diceret. Rectius itaque tenendum cum Peripateticis arbitror affectus innatos nobis eſſe, neque euelli omnino poſſe, ſed poſſe reſecari: licet enim pri-

primi motus affectuũ in manu ac poteſtate noſtra minimè ſint, adeſt tamen moderatrix illorum paulò poſt ratio.

CAPVT QVARTVM

De poteſtate affectuum in ſanitatem, et ægritudinem corporis humani, Deq; eorum qui talem uim habent delectu, et enumeratione.

TANTA itaque cum ſit animæ & corporis copula nexusq;, quanta ex Galeno ſecundo capite oſtenſa eſt, non eſt mirũ, ſi & maxima & mutua inter vtrunque reactio in humana vita ſemper conſpicitur. De corporis quidem reactione in animam ex Græcorum, Arabum, ac Latinorũ libris de corporis morbis & curatione conſtat conſcriptis: palàm enim ex eorum lectione deprehendimus affligi animam corporis ærumnis, veluti in atra bile, phrenitide, furore, in peſtilenti morbo, in quo ſeipſum, & propinquos ignorat homo, ceu multis eueniſſe in ſuis hiſtorijs, etiam Thucydides memoriæ prodidit. De animæ verò in corpus reactione oſtendenda, & quàm mirè corporis vel ſanitas adiuuetur, vel morbi accerſantur ex huiuſmodi reactione nõ ita. Quòd verò mirè corpus iuuetur, lædaturque ex animæ in ipſum reactione, affectuum nempe interuẽtu, docet id Galenus multis locis, ex quibus vnus ille eſt, vbi ha- *Li.1. de tuẽda ſanitate*

bet febres accendi & grauiſsimos morbos initium capere ab animi affectibus. Quare gloriatur ipſe, ſe ægros quotannis non paucos perſanauiſſe ſolis animi motibus ad debitum modum reuocatis. Sicut autem accendi ab animi affectibus ſolent febres, ita quæ alia ex cauſa accenſæ ſunt, ob ſuperuenientes animi affectus poſtea inualeſcunt. Quemadmodum Magno Alexandro contigiſſe ferunt, qui cùm æſtate in Cydnum Ciliciæ nataturus ob æſtum deſcendiſſet, & ob id rigore ac febre correptus foret, præſtare ſibi bene mori dicebat, quàm tardè ſanari, dolens ſcilicet rapi ſibi pugnandi cum Dario eo tempore occaſionem, quare Medicos increpabat, qui non ipſius accelerarent valetudinem, & ex eo animi affectu febris valentius augebatur. Sed de animi affectib. adhuc vberius Galenus ipſe in quodam ad Epigenem libello meminit his verbis: Adeò potentes ſunt motus animi, vt multi morbis ſæpe ex delectatione liberati multi rurſus ex nimia cõturbatione in morbos inciderint, nullus eſt autem corporis affectus tantus, vt vehementior animæ affectib. eſſe poſsit: quapropter minimè ſunt hæ affectiones negligendæ, qualeſcunque tandem fuerint, ſed diligentior iſtarum q̃ corporis paſsionum habenda ratio, tum alijs de cauſis, tum quia anima corpore præſtan-

In li. de parua pilæ exercitatiõe

Q. Curtius lib. 3.

ſtantior eſt. Neque prætermittendum locum alium cenſeo, vbi quot modis noſtrũ corpus alteretur explicans, & inter eos modos affectus quoſdam enumerans ita nos monet: Liquet autem caueri oportere omnes animi immodicos affectus, videlicet iræ, triſtitiæ, furoris, metus, inuidiæ: hæc enim alterát, & à naturali ſtatu corpus auertunt. Quare & in libro de Præcognitione per pulſum tradit pulſus ipſos in affectib. animi ſtatim tum ordine, tum æqualitate, ab his qui per naturam adſunt, dimoueri. Quid moror, & Ariſtotelis eandem in hac re proferre ſententiam? Videntur enim (inquit ille) anima & corpus compati adinuicem, ita quòd animæ habitus alteratus ſimul alterat corporis formam. Etiã cõtrà, Corporis forma alterata ſimul alterat animæ habitũ, nã cùm animæ & triſtitia & lætitia inſunt, manifeſtũ eſt quòd triſtes obſcuræ faciei ſunt, & gaudentes hilaris. Cæterùm quia nõ omnes animi affectus adeò obeſſe poſſunt, vt naturalem corporis conſtitutionem demoliantur, morboſque gignant, iccirco illos duntaxat eligemus qui hoc negocij humanis animis faceſſere conſueuerunt, atque inter hos neque de omnibus agemus, ſed de his duntaxat, quos nũc ex libro Artis paruæ Galeni recenſuimus. Neque ignoro lætitiæ quoque affectũ per-

Gal. lib. Artis paruæ cap. 85.

Cap. 6.

Ariſt. lib. 1. de Phyſiognomia.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

magni momenti eſſe, cùm multi ex ea mor tui ſint, perinde ac & Galenus aliquando narrat,& veterum hiſtoriæ teſtantur. Verũ quis,vel ſi poſsit,præſeruet hominẽ ab hoc affectu? nam cùm omnino moriendum ſit quid felicius contingere homini poteſt, q̃ ſi antequam corpus ægrotet, aut contabeſcat,aut doleat, antequam vllæ naſcantur querimoniæ,repentè præ gaudio animam exhalet? Quare ſtultus in hac re mihi admodum fuiſſe videtur Philippus Macedo, qui dum vno die tres lætos nuncios accepiſſet,Magne (inquit) Iuppiter pro his tantis bonis modicum reponas mali, quaſi immenſæ lætitiæ temperamentum petens,veritus ſcilicet (vt ego arbitror) ne cùm minimè poſſet tantam animi perpeti, ſuſtinereque lætitiam,confeſtim moreretur, cùm alioqui,ſi ex profuſo gaudio ſpiritus calorq́; tam vehemeter è corde in ſumma corporis diſsipatur vt ſyncopen aut mortem afferat (corde calore deſtituto) id vel ſenibus ſolùm,vel languidis & imbecillis contingat, cæteris omnibus corpus duntaxat refrigeretur.

Gal. lib. 5. de Sympt. cauſis ca. 5.

CAPVT QVINTVM

De Vtilitate tractationis, de animi affectibus, Deque methodo in huiuſmodi tractatione.

QVoniam igitur magni admodum ſunt affectus momẽti ad corporis huma

humani valetudinem,atque ægritudinem, facturos operæprecium nos arbitramur, ſi tractatum de his, Deo Opt. Max. auſpice, componemus,vt quomodo præſeruari ab his poſsit & curari doceamus.Nimirũ inuenientes artem quandam circa ægrotãtem animam,ſicuti ea eſt circa corpus,nam ſi fateri verum licet,nihilominus deberent circa hanc artem homines verſari quàm circa illam, vt ſapienter Chryſippus cenſuit, quemadmodum refert quodam loco Galenus,imò & magis,cùm, vt ſupradictum eſt ex Galeno in libro ad Epigenem paulò antè citato,anima corpore præſtantior ſit.Neque inficiari quiſquam poteſt animum humanum valere & infirmari,ſicut & corpus. Quis enim eſt qui non aliquos norit, audierit verò multo plures fuiſſe,quorum ab animæ duntaxat conſternatione &commotione ægritudines ortæ ſint ſubitæ, quæ illos citiſsimè ſuſtulerũt,ita vt aliquando admirationẽde ſe apudomnes reliquerint? Quis eſt inter Medicos qui non quàmplurimos ægrotos perire viderit ſibi ferè in manibus (vt aiunt) quãuis opportunè, concinneq; adhibitis omnibus quæ ad tria inſtrumenta medendi pertineret,videlicet ad Diætã, Pharmacum, Chirurgiam? quæ res cui ſit præterquàm mentis perturbationi aſcribẽda, nemo eſt qui dicere poſsit. Ego, vt de

Li. 5. de Placitis Hipp. et Plat.

me loquar, profectò interdum domeſticos quoſdã conquerentes audiui, ita ſuos, quibus præeſſent, ęgros animo affectos eſſe, vt interdum clamoribus, interdum lacrymis, item iurgijs, aliquando etiam capillorum vellicationibus, demum & ſubitis è lecto eruptionibus, totam domũ conſternarent. Quibus ſic perturbatis, quod eſt tam ſalubre poculum, quod prodeſſe queat? Quis tantus medicus vel ſi Æſculapius is ſit, qui vel tantillum conferat? Ex quo poſtea fit, vt ex centum ægrotis, quinquaginta ferè, ſi non plures, ob animi accidentium vim intereant. Quæ res fecit, vt Ars Medica coniecturalis omnino nonnullis viſa ſit, alijs inferior cunctis artibus, à quibuſdam fallax dicta, ab aliquibus verò diuinationi ferè cõparata. quod præcipuè contingit, quoniam qui de obitu hominum audiunt, plerunq; potiſsimas, ac veras perniciei cauſas ignorant. Neque enim intemperantiam aliquã morientium cauſam ſtatuunt, ſed ſciẽtiam eorum, qui medicinam exercent, accuſant, id eſt cauſas ad eos, qui inculpabiles ſunt, referunt: eos verò qui maximè accuſandi ſunt, à culpa liberant & defendunt. Medicos itaque imperitiæ arguunt, quaſi Medicorum ſit per ſe animis, ac non potius corporibus, quorum cauſa petuntur, mederi. domeſticorum enim & amicorum hæ partes

Hipp. in li. de Arte.

tes

tes ſunt, quas quia multi vel neſciunt aggredi, vel nolunt: ſiue id ſit quod nullius ponderis fore ſua apud ægrum verba credant, ſeu quòd mori eos malint, vt expectatis bonis potiantur, ob id & alienis munerib. fungi Medicus cogitur, vt finē attingat, ad quē ſuas omnes à principio operationes dirigit. Hoc idē nos modo ſuſcepimus. In quo quidem negocio duo ſunt à nobis præſtanda, quibus liberandi ab affectibus animi onus incumbit. Primùm quidem de præcauentibus cauſis, ſeu præſeruatiuis, agendū eſt, quarum ope tutus homo fiat, quominus immodicos animi affectus incurrat, aut illabatur. Deinde verò de curatione eius, ſi affectus ipſos iam incurrerit, aut illapſus ſit. In primis itaque ab affectuum deſcriptione incipiamus, & primùm ab ira, eūndem ſequentes in præcautione, ſeu præſeruatione, necnon & cura, ordinem quem in enumeratione ſupradictorum ex Galeno affectuū obſeruauimus.

CAPVT PRIMVM *De Generatione et deſcriptione iræ, necnon et de cauſis eius.*

HACTENVS indiſtinctam de Affectibus ſcientiam habuimus, quoniam generalem eorum ſupra tradidimus cognitionem, in qua confusè particularis continetur. Reliquum eſt igitur, vt in hoc libro de propoſitis Affectib. ſingillatim agamus ab ira, perinde ac Galenus, inchoantes. Cócurrunt ſanè ad iræ generationẽ tria ex ordine, Imaginatio illatæ iniuriæ, Appetitus vlciſcendi, Caloris feruor: tria ob hoc ipsũ & principalia membra ad iræ generationẽ ex ordine pariter conſpirant: nempe cerebrum, epar, cor. Facto nanque in cerebro iudicio iniuriȩ illatæ, inſurgit in epate vis vindictæ appetens, demũ caloris in corde accenſio conſequitur. Quare perfecta iræ deſcriptio ea eſt. IRA eſt appetitus vlciſcendi, excitatus ab imaginatione, rem aliquam offerente ſub ratione iniuriæ illatæ, ſecum inuehens feruorem, ac vehementem motum potentiæ iraſcibilis in corde poſitæ. Fit autem ira vel cita, & ſȩpe, vel tarda, & raró. Cita quidem & ſæpe in habentibus animum imbecillum, ac imbecillam facultatem iudicandi res ipſas. Tarda & rara, in

Iræ definitio.

ra, in habentibus animum fortem & conſtã tem ad res iudicandas. Quemadmodum enim imbecillia corpora à quocunque incõmodo malè afficiũtur, à leui nempe vento, ſole & frigore: robuſta verò, & ſolida à nullo vel maximo (quòd vires, vbi valentes ſunt, omnia contemnant ac tolerẽt) ita qui firmo ſunt animo ad iudicandas res magis apto, ſerò, & rarò iraſcuntur, ſæpe ab ira ſeſe continentes, vel ratione conditionis perſonę, à qua inferuntur iniuriæ, vel ratione rei ipſius, vel loci, vel temporis. Sicut ex aduerſo qui animo imbecillo ad hoc ſunt, illi quidem cum perſonis cuiuſcunque conditionis iraſcuntur, pro re omni, vbique, & omni tempore. Hinc pueros, fœminás, & tẽperaturæ frigidos homines, & omnino puſillanimes ſuccẽſere centies in die videmus rixari, minari, cõuiciari. Et omnes iſtos ad iram facilè procliues ratione cauſæ mouẽtis (dum ſcilicet iudicant leuia quęque cauſam eſſe legitimæ, magnæq; iræ) ὀργίλους vocat Hippocrates. Galenus ὀξυθύμους vocem illam exponens. Opponit autem his Gale. eos, qui θυμώδεις Græcis dicũtur, nobis magnanimi. hi enim tardi ſunt ad iram ratione cauſæ mouentis, eo quòd vilia putant, quæ grandia puſillanimis cenſentur, cùm tamen ratione cauſæ mobilis, id eſt materiei, ſeu ſanguinis aptiores ſint, vt in eis mo

Gal. lib. 10. meth. 4.

Comm. 2. in primum Epidem.

ueatur citò & ſæpe feruor ſanguinis, ob habitumvniuerſi corporis calidiorem. Poteſt autem imbecillitas animi, in quam relata eſt iræ propenſioris cauſa, non à natura ſolùm eſſe, ſed etiam ex accidenti, atq; id quidem vel ratione victus calidioris in cibo & potu, ex quo ignei redditi ſpiritus cerebri, non rectè diſcurrere permittunt, vel ratione inediæ, ex qua debilitatũ cerebrum non ita bene res iudicat. Quare nihil mirum, ſi vel ex leui cauſa excandeſcunt, & qui huiuſmodi imbecillitate animi laborant. Ratione quidem inediæ primùm id contingere non eſt dubium illi, qui nouit calorẽ naturalẽ, in quo vita conſiſtit, in corpore noſtro cõſeruari, eo quia humiditate tanquam pabulo ſuo fruitur ſemper, continuã habens in illum actionem. Contingit autẽ vt quo plus humiditatis poſsidet, eo blandior mitiorque ſit, vt in pueris: quominus eo acrior, vt in iuuenibus contingit. Ratio eſt, quia naturalis humiditas, quæ conſeruatur ab humiditate alimentorũ, benigniores reddit ſanguinis ſpiritus, caliditatem illorum vi ſua refrangens: vbi verò humiditas ea non eſt, ſanguis ipſe fit ſiccior, mordax, ac immitis: quare hæc eſt cauſa, cur ob inediam ira generatur: cuius etiam ſententiæ eſt Ariſtoteles in Problematibus, vbi quærens, cur animátium alia poſt partum

Sect.x.Problem.37

ſæui

ſęuire ſolét, ceu canis & ſus, alia nihil, quod perſpicuum ſit, efferantur, vt mulier, vt ouis: reſpondet quæ ſuperuacua redundant materia, hæc ſuam clementiá ſeruare: quantum enim doloris eſſet, ſecretum in partu eſt, quibus autem ſecretio non à vacantib. ſed integris fieri materijs ſolet, hæc exaſperare, & ſæuire. Vnde fit (inquit ipſe) vt extenuatio quoque iram, ratione habitus, moueat, vt etiam gallinæ furient non cum pepererint, ſed cùm incubant ratione inediæ. Reliquum eſt vt oſtendamus fieri imbecillitatem animi propter alimenti quoq; materiam. Alimentum ſanè primùm in ventriculum demittitur, in quo vbi prius elaboratum eſt, poſtea per venas in eum locũ pertinentes, attractum in corpore, humores creat, ex quibus reliqua omnia membra, & vnà cum ipſis cerebrum, cor, atq; iecur nutriuntur: inter nutriendum autem facultati dominantium humorum ſimilia efficiuntur: dominantes verò humores ſunt, qui ex victu comparati ſunt. vnde ſi cibi fuerint *calidi per ſe, & vltra hoc condîti cum aromatibus: ſimiliter ſi vina fuerint potentiora, & hæc in corpus, quanuis temperatum ingerãtur, humores quoq; calidiores reddi ex tali alimẽto neceſſe eſt, & hoc pacto flauæ bilis copia nõ mediocris generatur, prauique ſucci, ſanguis q; calidior euadit: vnde

*Vide cap. 6. de cibis et potibus calidis.

ſit,vt animę,animæque actionibus praui il li corporis ſucci officiant,quemadmodum ſatis apertè docet Galenus in libro de Ani
Cap. 10 mi morum,& corporei temperamenti mutua conſecutione. Quoniam verò dictum eſt,principium iræ ortum habere ab imaginatione iniuriæ illatæ,ſciendum quòd infertur iniuria,aut inferri cenſetur in aliquē quotieſcunque is læditur,aut lædi ſe cēſet. lædi verò poteſt dictis,factis ac ſcriptis:atque omnib. quidem his modis tripliciter. Nempe in bonis animi, in bonis corporis, in bonis externis ſeu fortunæ. Dictis enim quenpiam offendimus in bonis animi, vbi ingenio,aut ijs,quæ ex ingenio viri alicuius proueniunt,detrahimus: qualis fuit Aſinius Pollio,qui T.Liuij Patauini Hiſtoriæ obiecit,nihil præterea cùm poſſet, Patauinitatem. In bonis corporis,vbi turpitudinem,vitiúmue aliquod corporis, illudentes obijcimus, quo pacto Theodorus Chius altero orbatum oculo Antigenē Regem ſcommate quodam deriſit. In bonis externis ſeu Fortunæ,vbi aliquid verbo noſtro affirmamus,quo poſtea vel domus,vel agri,vel nummi,periclitētur ei, contra quē loquuti ſumus,vt fecit Petilius: qui quum Scipionem Africanum accuſaſſet,quòd nō totam Aſiaticam pecuniam in ærarium retuliſſet,proſcribendi Scipionis cauſa fuit.

Nihi-

Nihilominus officimus ſcriptis. In bonis quidem animi, vt Ariſtophanes, qui in Nebulis Socrati velut ſtulto detraxit. In bonis verò corporis, vt Homerus, qui Therſitæ deformitatem notam carmine ſuo poſteris omnibus fecit. In bonis autem externis ſeu Fortunæ, perinde ac Burus Neronis præfectus, qui Neronem per literas rogabat, vt ſcriberet in quos, & qua cauſa animaduerti vellet, & vſque adeò illi moleſtus erat, vt inuitum, poſt dilatum negocium, induceret ad admonendum, in quos vellet animaduerti. Factis tandem nocemus alicui in bonis Fortunę quidem, vbi rapinis vtimur qualem ſe geſsit in Herculis armenta quæ aſportauit, Cacus. In bonis corporis, vbi vulneribus corpus impetimus alicuius, vt Diomedes, qui in bello Troiano, Venerem fertur vulneraſſe. In bonis verò animi ex accidenti, cùm ſcilicet ob noxam corpori illatam, verbi cauſa per necem, tollitur vſus bonorũ animi, quæ in eo corpore continebantur, vt captis Syracuſis euenit Archimedi Geometræ, qui cùm à milite interfectus eſſet inter mathematicas contẽplationes, factum eſt, vt mortuo ſcibili, periret & ſcientia, quæ in eo fuerat, bonum animi tam excellens. Hæc cùm ita ſe habeant, deueniendum eſt modò ad præſeruationem cùm iracundiæ, tum iræ.

CAPVT SECVNDVM

De triplici modo, quo ſe habet Homo *circa iram ex Ariſtotele.*

QVoniam verò noſter in ſcribendo is ſcopus eſt, vt animi perturbationem vitãdam perſuadeamus, quominus ex eius noxa corpus quoque lædatur, ob id antequam deueniamus ad eiuſcemodi perturbationis præſeruationem, annotandum eſſe in primis puto id, quod Ariſtoteles in libris Ethicorum nos docet; vbi loquẽs de ira, triplici modo oſtẽdit hominem circa illam ſe habere: vel enim celeriter nimis iraſcendo, & quibus non oportet, & pro quibus nõ decet, & magis quàm par eſt: vel nimis hebetem ſe in ipſa gerendo, vt ſi non ſuccenſeat tandem, quibus debet, & pro quib. tenetur ſuccenſere, eo quia veluti duo extrema hæc ſunt, & vtraque damnanda: vel medio modo ſeſe habendo, in quo virtus collocata eſt, cũ ſcilicet iraſcitur homo, pro quibus oportet: exempli cauſa, ſi patris caput, ſi filij ſalus, ſi vxoris pudicitia defendẽda eſt. Item contra quos conuenit, vt ſi contra ſceleratos, & improbos. Pręterea ſi vt ratio dictat videlicet iræ nomen, & ſegnitiei vitando. necnon & quando oportet, verbi cauſa, cũ ſeſe offert occaſio, & quãto tempore oportet,

Lib. 4. ca. 12.

tet, nempe quârum eſt id quod intellectus rationi oſtendit. Si quis enim ſit, qui hoc pacto iraſcatur, is quidem cum virtute iraſcitur, & manſuetus ab Ariſtotele dicitur, minimè vindex, potius verò clemens. neq; is ille profectò eſt, quẽ nos præſeruare intendimus: quippe qui nec dedecus vllum recipit ipſe ex huiuſmodi ira, licet reclamẽt Stoici, qui mihi ſaxeum volunt eſſe in hac parte hominem, immobilemque prorſus: neque ita accenditur, vt læſionẽ ex iræ motu contrahat. Noſtrum verò inſtitutum eſt vt ad iram paratos regamus, iræque occaſionem iiſdem auferamus. Quis enim eſt, qui neſciat tantum aliquando eſſe iſtorum furorem, vt in primo illo impetu propter ſpirituum ſanguineorum copiam ad caput aſcendentem, corruptam habeant in ardẽtibus oculis viſionem? cùm quod vnũ eſt, id duplex arbitrentur eſſe. Præterea ima labra his laxentur, tremant genua ac manus, inflammetur totum corpus, quodque omnibus deterius eſt ſymptomatibus dictis, epileptico aliqui corripiantur paroxiſmo, qualis fuit, de quo Galenus meminit, Grãmaticus quidam iuuenis, & quo nihil maius, vomitu capiantur milioſo, quem febris ſequatur, quam cita mors excipiat *Lib. 5. de locis affect. cap. 6.*

CAPVT TERTIVM

De triplici modo præſeruandi, et curandi animi Affectus.

Triplici remediorum genere humanis perturbationib. occurrere poſſumus Quorum quidem primum à religione donatur, alterum à morali philoſophia, Tertium ab arte medendi. Primam præſeruandi, curandiq́ue rationem Theologis relinquamus, illi enim abundè oſtendunt iram ex his peccatis eſſe; quæ mortalia dicuntur, & in diuina lege interdicta ſunt. quod accidit, vbi homo admodum excandeſcit ex ira, & ab huiuſmodi ira cauẽdum nobis eſſe Paulus Apoſtolus monuit in illis verbis: Sol nõ occidat ſuper iram veſtrã alioquin iraſci hominem, modò ne iratus, aut Deum, aut proximum, vt nos dicimus, offendat, ſacræ quoque concedunt literæ, iuxta illud, Iraſcimini, & nolite peccare, eo magis cum vel in Deo ipſo videantur iram reponere, vt Propheta, dũ exclamat in Pſalmo, Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. itaque ad reliqua duo conuertamur remedia, & ad id primum quod Philoſophiæ moralis beneficio conſequimur, quarto tamen prius capite interiecto.

De Phi

CAPVT QVARTVM

De Philoſophiæ moralis diuiſione in tres partes, Deq; veterum conſuetudine, qui tradebant liberis ſuis illam in quinto uitæ ſeptennio.

PHiloſophia Græcis ἠθικὴ, nobis Ethicè ſeu moralis appellata eſt, quæ circa mores hominum expoliendos verſatur, quamprimùm euocatã à Socrate è cælo, & eductam tradunt, & in tres partes diſſecatur. In primã ſanè quæ Ethica propriè dicitur, in alteram quę Oeconomica. In tertiam & vltimam quæ politica nuncupatur. Ethica tractat, docetq; moralem hominis inſtitutionem per ſeipſum conſiderati, inquantum is actiones ſuas ad proprium finem dirigit, paſsionesque ſenſitiui appetitus frenat ac temperat, operationesque voluntarias rectè moderatur, & ordinat. Oeconomica & ipſa inſtitutiones conſiderat morales, familiaresque hominis, nõ tamen ob ipſum eas conſiderat, ſed ob domeſticã ſocietatem, resque ad victum & propagationem neceſſarias, cuiuſmodi ſunt vxores liberi, ſerui, animalia, ac ſummatim res vrbanæ, ruſticæque omnes ad familiæ gubernationem opportunæ. Politica verò morale regimen hominis tradit, provt is ciuile quoddam animal eſt, & ad regendam Rem-

cernunt, vt qui de Phyſica auſcultatione, deque anima inſcribuntur, alij res naturales ipſas, vt qui de generatione & corruptione, de animalibus, de plãtis, de metallis ac meteoris. nonnulli quædam reſpiciunt res naturales conſequentia, qualia ſunt locus, tempus, motus, de quibus in phyſicis libris agitur. Sequebatur & quintũ, de quo ſat ſupra diximus, ſeptennium, quod ab anno vigeſimo octauo ad trigeſimum quintũ pertinebat annum. Reliquum verò quod ſupererat vitæ, totũ id homo ſpeculatiuis moralibusq; inſtructus, & veluti ex ignorantiæ tenebris ereptus, vitiorumque labe purgatus, animum à terra ſublatum ad altiorem doctrinam, vtpote metaphyſicam, erigebat, dum illum ſpeculationibus rerũ incorporearũ, immortaliumq;, quales ſunt omnes ſeparatæ ſubſtantiæ cæleſtes occuparet.

CAPVT QVINTVM

De præceptis Philoſophiæ moralis ad iræ præſeruationem, et curationem.

ASCripta eſt victui ira, quantũ ad cauſam remotam pertinet, quæ temperatura eſt, necnon & iniuriæ quantum ſpectat ad proximam. Iccirco in primis præſeruemus hominem, & curemus ab ira, quatenus dependere ab iniuria apta

eſt, per morales Philoſophiæ præcepta, mox præſeruationem ab ira, quatenus victui aſcripta eſt, per medendi artem tradituri. Septem itaque præcipuè moralis philoſophiæ præcepta ſunt, quæ ad hoc conferunt. PRIMVM omnium id eſt, vt dum matutinis horis de lecto ſurgit, ſingillatim quæcunque per diem acturus ſit inſpiciat, veſpertiniſque antequàm cubitum eat, ſibi ipſi rationem reddat, vt Pythagoras monebat, conſideretque, num præſtet affectibus inſeruiendo viuere, an ratione, & conſilio vti in omnibus quæ agat. ALTERVM eſt, vt ſingulis horis hanc habeamus opinionem in promptu, vt inter ægregios numerari, frugique homines appellari, & eſſe ſtudeamus. TERTIVM eſt, ſine quo difficilè conſequi poſſumus id quod in ſecundo præcepto traditum fuit, vt eligamus nobis hominem aliquem, quem noſtrorũ erratorum indicẽ, quem ſeruatorem noſtrũ, quémue amicum maximum putemus. QVARTVM, vt quamuis nobis ille quẽ elegerimus viſus quandoq; fuerit falſa crimina obijcere, non tamen ob hoc illi ſuccẽſeamus, primum quidem, quod facilè fieri poteſt, vt ille ita melius quàm nos ſingula errata noſtra perſpiciat quemadmodũ viciſsim nos quoque eorum in quibus ille deficit, nonnihil. deinde verò quod licet fal-

ſum

ſum nobis crimen obiecerit,at in eo tamen nobis vtilis fuit, quòd nos ad eorum quæ agimus diligentiorem inſpectionem excitarit. Succedit QVINTVM, vt ſemper meminerimus quanta ſit eorum qui iraſcũtur deformitas,quantusq́; ex aduerſo illorum qui ſine ira viuunt,decor: quemadmodum enim qui longiore tẽporis ſpacio peccare conſueuit,magna cum difficultate affectuum ſuorum frena continet, ita decet nos multo tempore vnumquodq; eorum præceptorum exercere, quib. ſi pareamus viri egregij,ac frugi efficiamur. SEXTVM illud conſtituitur omnium maximum, & præcipuum, nempe vt pudorã ſeruemus. ſeruato enim pudore, expertẽ illã rationis vim,qua excandeſcimus, quaſi feram quandã nullo negocio mitẽ reddere poterimus, alioquin abſurdum profectò ſit viros æquitandi peritos,vbi equos acceperint, breui eos ad parendum idoneos reddere: nos autem qui nõ aliquod extrinſecus animal acceperimus,ſed rationis illam expertẽ vim, quę in noſtro animo eſt,&cum qua ſemper meditans ratio ſimul habitat,non poſſe ipſam æquè mitiorem reddere non ſolũ non ita repentè,ſed nec lõgiori quidem ſpacio, præſertim cùm ſolus homo hanc habeat, præter cætera animalia,excellenriam,vt ratione vtatur, quo nullũ aliud ne cogitatio-

ne quidem fieri poteſt, vt quis aſſequatur maius.ná fingamus quæſo omnes omnino alios homines irę obnoxios eſſe,te interim omnis iræ experté eſſe,quid hoc aliud tádé eſt,quá teipſum omnibus hominibus præſtantiorem oſtendere? SEPTIMO loco vt omittam plurium præceptorum cómemorationem,legenda arbitror,quæ de iratis traduntur à ſcriptoribus,vt ſemper con iunctam propemodum pœnitentiam cum ira intelligamus,quæque de illis qui iracúdiæ enixiſsimè obſiſtere laborarunt, vt eorum laus agnoſcatur,ex hoc enim vtilia eliciuntur ad moralis vitæ inſtitutionem exépla.Quis eſt qui neſciat Alexandrum Macedonum Regem cum interemiſſetClythú familiarem ſuum,vix à ſe manus abſtinuiſſe, tanta vis fuit pœnitédi? Adrianus Imperator quum ſtylo ſerui cuiuſdam ſui oculú eruiſſet,vocauit ad ſe hominem,fecitque ei poteſtatem,vt pro illa calamitate munus à ſe peteret, tacentem autem miſerum, rurſus hortatus eſt,vt quicquid vellet peteret, qui tandem negauit aliud quicquam ſe petere, ac optare,quem amiſiſſet, oculum, enimuerò id quod eſt ratus, nullum ſcilicet tandem munus inueniri poſſe,quo oculus amiſſus rependeretur,quo quidem reſponſo nemo eſt quin cogitet pœnituiſſe Imperat orē facti.Quis eſt ergo, qui cú iræ comi

tem

tem pœnitentiam videat,eam non intra ſe contineat,occultetque? nam ab ea prorſus liberari ſimul ac quis velit non continuò quenquam poſſe ſat ſcio,comprimere autē illius perturbationis intemperantiam atq; inſolentiam poſſe. Quòd ſi quis remedium ſæpius vſurpauerit,multo plus mitis efficietur,quàm fuit iratus ille,qui cum nimia feſtinatione conaretur oſtium aperire, neq; res ex ſentētia ſucceſsiſſet ob eam rem clauem mordebat,calcibus fores percutiebat conuicia in Deos iactabat,oculis,inſtar eorum qui in furias euaſerūt,efferatis,ac propemodum ſpumam ex ore emittebat, vt apri ſolent. Quid plura? Pericle Athenienſe mitior fiet: mira enim ſunt de tanto philoſopho quæ dicuntur: cùm enim eum quidā ex fori hominibus probris aliquando laceſſeret,credendúmne eſt illum commotum fuiſſe? minimè hercle. Per totam diē perſeuerauit maledicus ille iurgia in Periclem iactādo, hic verò tanq̄ ea res nihil ad ſe pertineret cōtemnebat omnia, tenebris autem exortis cùm iurgator ille vix eo tempore abire vellet,Pericles famulo cū lumine accito proſequutus eſt ipſum,vt ſibi quàmlongiſsima hæc eſſet ad Philoſophiam exercitatio. omnes itaq; ſeſe exercere, vt Pericles faciebat, ad patientiam decet, fiet id verò ſi vſurpauerimus id quod ſupra modò dixi

Nam quanuis non multo fieri meliores ſtatim queamus, at ſatis fuerit anno vno in melius ſaltem paululum eſſe prouectum, atq; altero adhuc aliquid magis: nam longè propius tertio, & poſt hunc quarto, atque item quinto ad honeſtius, grauiusque vitæ genus acceſsiſſe nos ſẽtiemus. Quòd ſi in hac re minimè aſſueuerimus, profectò vel furẽti apro, vel cuipiá agreſti alteri belluæ, quæ manſueſcere nequit, comparandi erimus. turpe enim eſt quempiam multos annos continenter laborare, atque exerceri, vt vel grammaticus, vel geometra, vel rhetor, vel medicus fiat: vt autem in virum bonum euadat in tanto temporis ſpacio, quo frui in hac vita poteſt, niſi ipſe ſeipſum iræ furijs enecet, nunquam ſibi quicquam laboris aſſumere. Quòd ſi quis ſe profeciſſe animaduertet, quantum morali philoſophiæ debebit, perſpiciet. illa enim vitæ dux eſt, morum magiſtra, legum inuentrix, humanę ſocietatis amatrix, virtutis indagatrix: conſiderat enim virtutem in medio conſiſtentẽ, & ab externis cauendum in humanis actionib. docet, duce nempe appetitiua animæ portione, quæ pręcipiẽti rationi obtemperet, illa demum ignoſcẽdum calumnijs atque iniurijs, propter quas ira concitari in nobis ſolet, nos hortatur, cum deterius eſſe ob oculos proponit inferre iniuriam, vt inquit

quit Ariſtot.in Ethicis,quàm pati, quia ſine iniuſtitia inferri non poteſt iniuria,perferri poteſt ſine vitij vllius culpa. quod ſi il latam iniuriam præter modum vlciſcare,euenire poteſt vt qui paſſus es iniuriam per accidens grauius crudeliusque pecces. Hæc ſunt quæ ad iræ præſeruationem moralis philoſophia largitur. Iræ verò remedium curâve tribus ſaltem præceptis, aut quatuor abſoluitur. PRIMVM id eſto, vt quia irati de poteſtate,id eſt de conſilio, ratione,ac mente,exierunt,ſubtrahamus ipſis de medio,in quos impetum conantur facere,dum ſeipſi colligant,ideſt diſsipatas animi partes rurſum in ſuum locum congerant, atq; in hoc quidem præcepto nullus eſt Philoſophiæ locus. SECVNDVM vt rogemus,ſi quam habent vlciſcendi vim differant in aliud tempus,dum deferueſcat ira,id eſt excitatus inuita ratione ardor animi. TERTIVM,vt ſedere eos iubeamus, nam qui ſpiritus in cerebrum cōfertim impetum fecerunt,paulatim ſubſidunt motu intermiſſo,deferueſcitque nimius ille cordis calor,ac tandem ſedendo, & quieſcendo animus fit prudens. QVARTVM vt Philoſophorum præceptis vtamur,& cū ſubtrahimus illos qui fuerunt iræ cauſa; & cùm rogamus vt vindictam differant,adduci poteſt Platonis illud, qui deprehenſum

in delicto graui ſeruulum, Zenocrati verbe randum, ad ipſum ſalutationis cauſa profecto, tradidit, dum diceret id ego ne faciam impediméto eſt ira. Item Architæ illud, qui cum villico factus eſſet iratior, quo te modo (inquit) accepiſſem, niſi iratus eſſem? dũ verò rogamus vt vindictam differant in tẽpus aliud, opportunè meminerimus præcepti illius, quo Cæſarem Auguſtum vti monebat Athenodorus Philoſophus, dum iræ feruor elangueſceret, dilationẽ enim ſuadebat ei in huiuſmodi tumultu, rogabatque vt quum iratus eſſet, nihil neque diceret, neque faceret, priuſquàm quatuor & viginti literas ſecum percurreret, exemplumq; Theodoſij Imperatoris afferemus, qui à naturæ munere id habuit, quod Auguſtus à philoſophiæ doctore. recenſebat enim is elementa literarum iratus. Neque obliuiſcendum erit dicti illius, quod olim Bias Prienæus vſurpabat, duo maximè cõtraria conſilio eſſe, iram & feſtinationem, ideo nec incommodum fuerit Antigoni Regis Macedonum exemplũ de tarditate ad iram proponere, in eum nanque cũm maledicta milites congererent ignari ipſum eſſe in proximo loco, diductis virga tentorij uelis, ſat illi fuit dicere, Flebitis mediuſfidius, ni longius ſemoti de me male loquamini. Nec omittendum conſulo, dum ſedet

ira-

iratus, & ratiocinationis commoditatem præbet,illud quod Thraciæ Rex Cotys fecit.nam cùm eſſet natura celer ad iram, vaſa quędam curioſè admodum torno elaborata,ſed fragilia,quæ ad ipſum hoſpes quidam attulerat,datis antea hoſpiti muneribus,confregit omnia,ne iraſcar (inquiens) ita facio,néve ſæuiam in eos qui fracturi erant.Vltimo loco poſſumus non inelegantet quærere, Cur Priſci ſapientes Regium ſceptrum effingebant,ita vt in ſummo eſſet ciconia, in imo hippocentaurus: docereque iratos cum ciconia pietatis exemplum ſit, hippocentaurus verò feritatis,nihil eos præterea voluiſſe,niſi vt ſi quid in Principe ſæuiant animi affectus efferi, ſiue in alio quopiam, premantur quãtum fieri poteſt.

CAPVT SEXTVM

De Præſeruatione ab ira per medendi artem.

MAnifeſtum itaque ex ſupradictis eſt quo pacto præſeruet homine in ab ira moralis Philoſophia: videamus modò,quantum in ea re profit ars medica per victum,qui in ſex rebus neceſſariò corpus noſtrum alterantibus latius ſumptus continetur,nam ſupra arctius comprehenſus eſt ad cibum & potum dũtaxat diffuſus Conſiſtit itaque victus primùm in ambien *Cap.1. primi libri.*

Gal. in lib. Artis par-ue cap. 85.

tis nos aeris contactu: ſecundò in motu & quiete totius corporis, & eius partium: tertio in ſomno & vigilia: quartò in his quæ intra os aſſumuntur: quintò in his quæ excernuntur, retinenturque: ſextò in animæ affectibus. Quod cum ita ſit, modos illos nos alterantes examinemus, vt videamus an ex eorum vſu vel omnium, vel plurium, multum caloris, ſucciq; bilioſi congregetur. ſtatim enim tot auxiliorũ genera habebimus ad auertendam iram, quot ea modis comparari poteſt, vſum in omnibus opportunũ adhibentes. Id verò in primis monemus, ex bilioſo humore, & ſanguine admodum exuperante iram fieri: licet enim ſanguis ſuapte natura hilaritatem pariat, tamen ob nimiam ſui copiam cerebrum, vel eius mẽbranas occupans, nihilominus interdum quàm bilis ferè calefacit.

Quãtum itaque pertinet ad ambientem nos aerem, debet is quem à bile cauere volumus, eum ſibi eligere, iñ quo qualitates ſint bili flauæ contrariæ: frigidus ergo & humidus conueniet, ná qui calidior eſt & ſiccior, nimis admodũ corpora calefacit, magisque humores aſſat. ex quibus plus etiá bilis conciliatur. ex quo patet, cur in æſtiuo aere, ac tempore bilioſiores ſimus, & ad irá promptiores, neque nos duntaxat, ſed & cætera animalia, præcipuè verò quæ venenoſa ſunt

noſa ſunt: vitandus itaque ſol eſt in æſtate, neque tamen ſicuti plerique more puellarum faciunt, ſemper in vmbra degendum, ſed ita, vt neque nos nimis ſingulis diebus in ſole torrefaciamus: ſcio enim hominem ad negocia natum non poſſe normæ vlli ad vnguem deuinctùm eſſe.

SECVNDO loco dicebamus de motu & quiete. Quies ipſa profectò nõ eſt quę calorẽ efficiat, ſed qui huic opponitur motus: motu nanque corpora calefiunt, & ſicceſcunt, nam ex continua frictione partiũ, quæ mouentur ſemper calefactæ proxima pars ſimul caleſcit, donec alteratione per continuum facta ad cor caloris communicatio pertingat, quod quidem vbi calefactũ redditum eſt nimis, & vniuerſum calidum fit corpus, & per ſudorem humores in ſpiritus reſoluũtur, interdum verò adeò cor ob ipſum incaleſcit motum, vt febris ex laſsitudine contingat: debet itaque motus talis eſſe in omnibus, vt ne ad plus quàm par eſt caliditatis, corpus perueniat, alioquin acrioribus, mordacioribuſque repletur humoribus ob nimiam exercitationem, maximè verò hoc picrocolis, ſeu bilioſis euenit, quibus præcipiendum eſt (ſi cui vnquam) vt vbi inanes ſunt, minimè vehementi motu defatigentur, Hippocratici illius præcepti memores, vbi fames, laborandum non eſt, *Secunda Aphor. 16*

imò tunc etiam cùm exerceri volunt,leues ſibi ambulationes,licet ſatis multas, cõuenire magis intelligant,id conſiderantes, exercitationes ideo nobis neceſſarias eſſe, vt ſuperfluentem ſuccum euacuent,excrementa concoquant,& expurgent, perſpirationemque vniuerſi corporis ſalubrem reddant,quod ſatis commodè ipſis per leues illas ambulationes euenit.

Sed neq; vigiliæ parum accẽdunt iram: ſanguis enim,vt teſtatur Galenus in expo-
Lib.7 Aph. 18. ſitione ſua in Hippocratis Aphoriſmos,biliosior in longis vigilijs redditur: cauendũ itaque eſt à nimijs vigilijs, & ſomno eatenus indulgendum,quatenus modum non excedat,per ſomnum nanque humectatur totum corpus,eiusq; beneficio ſanguis benignior euadit.

QVARTO loco ſuccedunt conſideranda,quæ ſumuntur per cibum & potum. Cibi ſanè qui in bilem vertũtur calidi ſunt, vt etiã capite primo libri huius ſummatim tradidimus, vt hoc loco copioſiores eſſemus:calidi verò,vel dulces,vel acres,vel amari,vel ſalſi ſunt:dulces exiſtunt cuiuſmodi mulſum,mel,& ſaccharum, acres vt cæpæ,porri,allia,forte acetum,raphanum, ſimiliter aromata omnia, vt cinnamomum, piper,zingiber,atque alia huiuſmodi,amari,vt lupini, radix aſphodeli, abſynthij co-

ma

ria, amygdalæ amaræ, ſalſi vt ſalitæ piſciũ, aliorumque animalium carnes, item caſei ſaliti, & multa alia quæ ſale nimium participant. Eadem autem ratio in potibus eſt, quæ in cibis reperitur, ſicuti enim qui calidi ſunt cibi bileſcunt, ita & potus præcipuè qui dulciores ſunt, ſed potus iram gignunt ex eo etiam quòd nimium ſanguinem producunt, ex cuius copia ſimiliter iram fieri ſupra diximus, quòd ſcilicet cerebrum, eiusq; membranas nimis tentat, licet ſuapte natura hilaritatem pariat. Nihil mirum itaque ſi & Plato in Timæo, vbi de alimento ſcribit, & in ſecundo de Legibus, primùm quidem iubet, vt pueri citra duodevigeſimum annũ à vino prorſus abſtineát, quòd videlicet ignem ſuper ignem in corpus animamque, antequàm labores capeſſere incipiant, inducere non conueniat, atque ita iuuenilis habitus in furorem propenſi rationem habendam ſuadet, poſtea verò ad trigeſimum vſque annum vinum quidem mediocre concedit guſtandum, ſed ab ebrietate ac vinolentia abſtinendũ penitus monet. Ad quadraginta verò iam annos perductos permittit in conuiuijs epulantes, alios Deos & Bacchum præcipuè inuocare, vt ſeniorum ſacris, luſibusq; interſit. Sed in primis memoria tenendum eſt id, quod in extremo de potionibus ſermone ſcriptum

reliquit,vbi de Carthaginenſibus loquitur Verumetiam potius (inquit ille) Cretenſium,Lacedæmoniorumque vſui Carthaginenſem legẽ antepoſuerim, vt nullus videlicet in exercitu vinum guſtet, ſed toto illo tempore aquæ potione vtatur, & in ciuitate neque ſerui,neque principes eo anno,quo in imperio ſunt,vinum guſtent.Itẽ neque Rempublicam adminiſtrantes, neque iudices, dum ſuo funguntur munere, vini quicquam aſſumant, neque quiſquam de re aliqua inſigni conſilium initurus, neque interdiu quiſquam omnino,niſi aut exercendi corporis,aut tollendi morbi cauſa,item neque noctu quiſquam ſeu vir, ſeu mulier quum filios genituri ſunt.Ego verò non laudari legem hanc à Platone alia ratione cenſuerim,niſi quia exiſtimet vinum epotum animæ tanquam tyrannum quendam imperare,nam ſi ſemel in corpus intrauerit gubernatorem impedit,quominus vt decet, nauis gubernacula dirigat, milites, ne in acie rectè ſapiant,conturbat, iudices in dicendo iure aberrare,& omnes principes vitioſè dominari, nihilque ſani imperare cogit. Cùm ergo ex calidorum ciborum,potuumq; vſu maximum paretur iræ fomentum,nemo ſanæ mentis eſt, qui non his & cibis & potibus vti malit,quæ animũ è manibus tam ſæuæ belluæ eripit, præcipuè

pué verò, cùm tot ciborum, potuumque genera producta ſint à natura nulla ex parte damnanda, ſed veluti in ſymmetria, omniſque exceſſus mediocritate cõſtituta, vt ad eam viuendi rationem, quæ corporis & animi ſanitati proſit mirificè ſint accommodata. Neque opus eſt, vt ego hîc illa nunc perſequar, ſatis enim fuerit, vt Galeni libros ſibi vnuſquiſque legat, quatuor in hãc ſententiam conſcriptos, tres quidem de alimentorum facultatibus, vnum verò qui illos ſequitur, de cibis boni & mali ſucci: quod qui fecerit, atque eam viuendi normã quæ illic traditur, ſibi perſcripſerit in electione alimentorum, facilè præſeruari ſe à generatione illius humoris, qui omnium calidiſsimus & ſicciſsimus in corpore noſtro aliquando contrahitur, ſentiet. Menſuræ autem ratio ex viribus, & ætate ſumitur, necnon & ex naturali temperatura, & præterea ex conſuetudine, anni regione, atque alijs huiuſmodi: alioquin & ex nimia quantitate temperatorum ciborum in ventriculo ob imbecillitatem concoquẽdi putreſcente, bilis eadem fieret, quæ à calidiori victu oriri ſolet. Cæterùm quia dictũ ſupra eſt capite primo huius libri, quòd etiam ex inedia ira fit, ideo ſi quis eſt quem ad iram cognoſcas pronum, caue hominẽ inedia neces, quinimò alas liberaliter, vita-

Lib. 1. ad Glauc. ca. 1.

tis tamen calidioribus: alimentũ enim ſanguinem reddit blandum, neque bileſcere eum permittit, hilaremque facit hominẽ. Leonis id exemplo declarari poteſt. Leo nanque, cum ſit inter omnia auimalia acerrimum, tamẽ vbi fame exemptus eſt, & per multam vorationem repletus ad ſaturitatẽ facilis, mitisq; maiorem in modum euadit, feſtiuus, ludibundus, beneuolusque ſuis cum ſocijs & familiaribus, vt teſtatur Ariſtot. in lib. de natura animalium, quæ omnia alimenti contingunt cauſa, ieiunis autẽ contingit oppoſitum, his enim ſanguis bileſcit vt teſtatur Alexãder Aphrod. in Problematibus ſuis, vbi ait, Cibo poſt ieiuniũ ingeſto frigus inuadere, & nulla alia cauſa id contingere, niſi quia materiæ in ieiunio aggregantur acriores, aſſumptis verò edulijs membra iam confirmata bilem verſus cutem expellunt, itaque fit, vt rigor oriatur bilis enim membra remordet, excitatq; ad repellendum.

Lib. 9. cap. 44.

Lib. 1. Problem. 134

Reliquum eſt vt de his quæ excernũtur, retinenturque agamus. Sciendum itaque, quòd ex eorum quæ intra corpus ſumuntur concoctionibus, colligi in corpore excrementa neceſſe eſt. colliguntur enim quędam ex prima concoctione in ventriculo, ex ſecunda in iecore, venis & arterijs, ex tertia in ſingulo quoque membro, cuilibet au

tem

tem harum partium natura parauit inſtru-
menta,aliqua purgantia & diſcernentia,ali
qua deducentia,aliqua colligentia, aliqua
demum excernentia,quæ tamen non adeò
euidentia ſunt ſicut in prima concoctione.
Fecit ergo inteſtina vētriculo, vt per ea fex
egereretur craſſa.Iecori dedit lienem ad ex
purgandam bilem nigram,veſicam felleam
ad expellendam flauam,ſingulis etiā mem
bris ſtatuit corporis meatus apertos, &
molles, vt à collecto ſpiritu propelleretur
ſingulorum membrorum excrementum,
talia modò ſi cohibeantur excrementa, pu
treſcunt profectò,atque ex putredine non
poteſt non & bilis collectio fieri, & conſe-
quenter ad iracundiam motus: facilè verò
cohibentur,atque ægrè expelluntur,vbi in
partem decubuere obſtructionibus maxi-
mè obnoxiam,qui quidem affectus in pri-
mis iecori ob eius tum ſtructuram, tum ve
rò actionem ſolet eſſe moleſtus.Nam venę
quæ à Portis deriuantur per vniuerſam hu
ius viſceris partem cauam diſpertitæ, tan-
dem in illis quæ in gibba ſunt per quædam
oſcula ſenſum effugientia committuntur,
Vniuerſum verò alimentum ex ventriculo
in hūc vnum locum,qui ob id ipſum quod
nuper diximus portæ appellatus eſt, refer-
tur.quemadmodum enim in vrbes nihil ni
ſi per portas inuehi poteſt, ita nihil poteſt

in iecur deferri,niſi prius in hunc feratur locum,vnde in totam iecoris partem cauam ſubinde diſtribuitur,inde verò per eos quos diximus,terminos in gibbum. quare nihil mirum poſtea eſt,ſi viſcus hoc, & ob viarũ anguſtiam, & ob copiam tranſeuntis ſubſtantiæ,aſsiduè obſtructionibus arripitur, quæ excreſcentes flauæ bilis multitudinẽ pariunt, quæ in venis putreſcens ardentes febres accendit:ſin autem in corporis habitum transfuſa ſit citra putredinem quidem Regius morbus,cum putredine verò Tertiana febris oritur. Quòd ſi in parte aliqua congeſta ſit, herpes:ſi bilis exquiſita ſit, eriſypelas. Vitandæ igitur ſunt obſtructiones,quod conſequemur,ſi intelligemus cibo nulla de cauſa alia nos indigere, niſi vt corpus nutriamus, nutriri verò corpus ſi bene concoctus fuerit cibus, bene autem concoqui cibum,ſi modicus ſit.Quod ſi neglecto recto regimine,obſtructiones acciderint,occurrendum his eſt,priuſquam nimis excreſcant,putredinem gignant,& bilem,ex qua & febres excitẽtur,adminiſtratis tum cibis,tum medicamentis attenuantibus, quia cùm multæ factæ fuerint, non modò hæc non ſat erunt,verùm & euacuatione opus erit,quæ deinde quo loco facienda ſit,membri figura, & eiuſdem ſitus indicabit.Vnde ab his permoti, ſi quid in iecoris

coris cauo comprehenſum ſit, per inteſtina detrahimus, ſi in gibbo, vrinam cientibus euacuamus. Eodem etiam modo à membri figura, ſituque docti ea quę in pulmone & pectore collecta euacuatione egent per tuſſes purgamus. ad nares autẽ deducimus quæ in cerebro. Non ſolùm autem cohibẽtur quæ in iecore & venis, arterijsque fiũt excrementa, ſed etiam quæ in alias corporis partes, vt diximus, obtruduntur, quemadmodum muliebribus menſtruis accidit, quæ in vtero ſupprimuntur, vnde fiunt aut inflammationes aut eryſipelata, aut febres ardẽtes, vt tradit Galenus. Contingunt etiam corruptiones ad venenoſam naturam declinantes, vt teſtatur Auicenna libro tertio Canonis, vbi de matricis præfocatione loquitur. Occurrit etiam nonnunquam vt ſublatis ad os menſibus, mulieres barbam producant, ſicut olim mulieri cuidam contigit, cùm viro abſente, illo membro nimis feriaretur; de qua Galenus in libris Epidemiorum meminit. quæ quidem omnia ſymptomata caliditatem eximiam ex vteri excrementorum putrefactione arguunt, vnde & bilis generationem, conſequenter verò & promptitudinem ad iram. Quid dicã de obſtructionib. quæ fiunt in neruis? propter quòd Paralyſis, Epilepſia, Apoplexia, Spaſmus, & multi alij huiuſmodi affectus

Li. 6. de locis affectis, cap. 4.

Tertio Epidem. Com. 1. Ap. 5. 4.

generantur. Sed hucvſque ſatis dictum pu
to de Præſeruatione ab ira, in duobus his
capitibus. Nunc modò opportunum eſt vt
ad alios affectus, quibus hominis perturba
tur animus, ſermonem vertamus.

CAPVT SEPTIMVM
De Furore.

CORdis facultas duplex eſt, altera vi-
talis nuncupata, eò quia innatum ca
lorem in quo vita cōſiſtit, tuetur per
ſiſtolen, atq; diaſtolen moderatè ipſum re-
frigerando. Per diaſtolen quidē, id eſt per
dilatationem ſpiritus attractione. Per ſiſto
len verò, id eſt, per contractionem fuligino
ſi halitus expulſione. Altera eſt, quá Græ
ci θυμοειδῆ vocant, nos animoſam, quę in no
bis gignit motus vel turbidiores, vel quie-
tiores, put ratiocinatrix facultas (λογισμὸν
vocat Galenus) obiectam cōmotionis ſpe-
ciem æſtimauerit: facultas enim animoſa ſe
quitur impreſſas in mēte rerum imagines.
Porrò ratiocinatrix primùm expendit fugi
enda ne ſit, an amplectenda ſpecies quæ o-
bijcitur. Animoſa poſtea eam vel fugit, vel
amplectitur. Ratiocinatrix rurſus quæ bo-
na videntur, amplectitur, & quæ mala, deui
tat natura, ſeu pro ſua naturali conſtitutio-
ne. Si enim valida eſt, ac proba, aut certè o-
ptimis

ptimis diſciplinis inſtituta, rectoque iudicio prædita, ad obiectas rerum tam bonarum quàm malarum ſpecies mouetur, huicque animoſa vis imperanti obſequitur, ac tum motus placidi, & conſtantes naſcũtur, cuiuſmodi ſunt animi fiducia, fortitudo, & id genus alia. Contrà, eadem ratiocinatrix ſi infirma, aut rerum inexperta, aut prauis moribus imbuta, & ſine recto iudicio ſit, ſed cum opinione, aſſenſioneq; imbecilla, ad ea quæ bona videntur amplectẽda, & mala fugienda mouetur, impellente animoſa facultate, quæ aliquãdo ab iracundia, alijsque animi perturbationibus antè occupatur, quàm prouidere ratio poſsit ne occupetur. A motu leui, & cum ratione, ac iudicio huiuſce animoſæ facultatis naſcitur fiducia, ex qua promptitudo eſt ad labores bonarum rerum agendarum. A vehementi verò, & ſine iudicio oritur ἐυτολμία, id eſt, confidentia, ex qua fit impigritas ad improbiſsimos quoſque labores, & ὀξυθυμία, id eſt, præceps, acerba, vehemensque concitatio, quam Galenus hoc loco θυμὸν, id eſt, furorem nominat, & alibi ὁρμὴν, id eſt impetum, à phrenitide eatenus differentem, quòd in ea febris adſit, furor verò citra febrem accidat. Fit autẽ huiuſmodi affectus à mordacibus & calidis humoribus, qualis eſt maximè flaua bilis, vel à calidiori cere- *Gal. li. 2. de Sympt. cauſis cap. ult.*

bri intemperatura, vt tradit Galenus. Puto autem calidiorem illam cerebri intemperaturam interdum à ſanguine plurimo corrupto, ad ipſum cerebrum aſcendente, interdum & temperato ſed nimio, originem ducere, ita quòd furorem & à bile, & à ſanguine fieri ſtatuimus. Facile verò eſt internoſcere ex furioſorum moribus vter in illis furoris humor cauſa ſit. Qui enim fit à ſanguine furor, comitatur eum riſus aſsiduus ridiculis quibuſdã viſis ante oculos occurſantibus. Vbi verò à bile flaua, ſuperaſſata ſcilicet, & craſſefacta, cerebrum ac membranas ſtimulante & diuellente, ferarum inſtar redduntur effrenes: vnde Hippocrates rectè dixit, deſipientias, quæ cum riſu fiunt, ſecuriores: quæ verò cum ſtudio, periculoſiores eſſe.

Sect. 6. Aphor. 53.

CAPVT OCTAVVM

De præſeruatione et cura furoris.

SVperuacaneum fortaſſe cuipiam videretur nos ſeparatim de furoris præſeruatione, & cura, caput erigere, cũ magis & minus non varient (vt inquit Ariſtoteles) ſpeciem: pateatque tam furorẽ, ſeu impetum, quàm iracundiam & iram ab imbecillitate ratiocinatricis facultatis, & ab animoſæ vehementia naſci. Hoc ſi quis

obijciat

obijciat,præterquàm quòd Galenum inuenio in tractatu de locis affectis, & alibi diuerſa capita conſtituere de multis affectib. qui ab eadem minera, & ab eodem humore fiunt, æquè ac furor & ira. Dicam ob id etiam hoc à nobis factum eſſe, quoniam ex his,in quibus de ira dictum eſt, locis, non petenda furoris remedia cenſeo. Vni enim quæ competunt,non & alteri congruunt, tametſi quæ ad præſeruationem iracundię dicta ſunt,poſsint ad furoris etiam præſeruationem accommodari. Eo enim ſuppoſito,quod apud omnes cõſtat, nempe quòd furor præceps ſit vehemens,& acerba concitatio,in qua ferarum modo furioſi debacchantur,nemo ſani capitis perſuadere ſibi poteſt,vt arbitror, præcepta curationi iræ opportuna quicquam in furoris curatione proficere, nam quo pacto,qui ἔκστασιν quandam animi patiuntur,ſuique omnino ſunt immemores,te audierit præcepta ex morali philoſophia depromentem? rogantem? vindictam vt differát,exemplaque eorum, qui ita ſeſe geſſere afferentẽ? cùm ijs ſénſus omnes deprauati ſint? Id ergo in primis agendum,vt primo quoque tempore ex eorum manibus ſubtrahamus,qui furoris cauſa fuerunt. Secundo loco nobis etiam à furioſorum præſentia abeundum, ne quid & nobis affricent mali.Poſtea,ſi opus ſit,li-

Herodotus in Erato.

gamentis conſtringendi ſunt,quemadmodum Cleomedi Lacedæmoniorum Regi contigit,qui cùm ad inſaniam redactus,ſceptrum vnicuique obuio in faciem impingeret,ligneis ſoleis conſtrictus eſt à propinquis,& in carcerem coniectus.Fit autẽ hoc nõ ſolùm vt ne alijs,ſed vt nec ſibijpſis vim inferant,quam inferre alijs nequeũt:perinde ac Cleomedes,qui arrepto cuſtodis, & ergaſtularij gladio, ab ima corporis parte ad verticem ſe diſſecuit. Quarto loco confugiendum eſt ad artem Medicam. Victu itaque inſtituto tenui,ſorbili,liquidoque,vino præcipuè ſublato, curatio à ſanguinis miſsione,vbi à copioſo ſanguine malũ accidit,inchoanda.Cubiti autem exterior vena incidenda,vel media, ſi minus ea apparuerit.In mulieribus (fiunt enim & ipſæ furioſæ,vt Agaue,quæ Pentheum filium furore correpta interfecit) malleoli vena ſecanda:ex hoc nanq; fit,vt menſtrua (quod mirificè in re hac prodeſt) prouocentur. Verũ quoniam nonnullis in prima quidem ſanguinis detractione ſtrenua adeſt inanitionis tolerantia,in ſequentibus autem lipothymiam incurrunt,ſiue in animi defectũ, ob id præſtat in prima detractione quantũ vſus poſtulat,auferre. In effluxu verò ſanguinis,aſsiduè pulſus tangendus eſt.Qui ſi conciderit,ſtatim tunc eſt ab vlteriori ablatione

tióné ceſſandum, deq́ue repetitione cogitandum, quæ poſtridie reparatis iam viribus aggredienda. Euacuato ſic vniuerſo corpore, loci affecti habenda memoria. Furoris enim caput ſedes eſt, itaque fouendũ caput erit roſaceo, & aceto, aut mellino oleo, aut polygoni ſucco. deinde ſuccida lana oleo madefacta ſyncipiti applicanda, aſſidueq́ue noua mutanda, veſpere quoque ſomnus conciliandus: ablato enim ſanguine, ſi vigiliæ permanſerint, ægri immaniores redduntur. Aluus præterea cum idoneis alimentis, ſi clyſteria renuant, molliendа eſt. Quibus actis, detrahendus eſt, ſi neceſſe fuerit, ſanguis ex venis etiam è fronte vel hirudines ſyncipiti admouẽdæ. Quòd ſi à bile malum ortum ſerit, curatio ex hiera picra, & alijs medicamentis bilem vacuantibus, auſpicanda. quæ ſi delirantes refugiant, fallendi ſunt cibis, bucellis, vel ficubus pinguibus, vel palmulis ea admiſcendo, vel ſero lactis. Vnicè autem prodeſt, declinante morbo, balneum ex aqua dulci: eo nanque humectatur totum corpus, & placidum ex bilioſo euadit.

CAPVT NONVM

De triſtitiæ Definitione

TRiſtitia quæ modò δυσθυμία, vt Hippocrati, modò λύπη, vt Galeno appella-

tur,eſt recens opinio quòd malum adſit, vt Chryſippus dixit.quam definitionem, ſi ar ctius cogere volumus,ita enunciare poſſumus.Triſtitia eſt opinio recẽs mali pręſentis.Vbi loco generis poſita eſt opinio, quia omnes perturbationes iudicio cenſentur fieri,& opinione. Additur ad hanc definitionem rectè, vt illa opinio præſentis mali ſit recens.hoc autem verbum ſic interpretatur Zeno,vt non tantùm illud recens eſſe velit,quod paulò antè acciderit,ſed quandiu in illo opinato malo vis quædam inſit, & vigeat,& habeat quandam viriditatem, tandiu appellatur recens. Vt Artemiſia illa Mauſoli Cariæ regis vxor,quę nobile illud Halicarnaſi fecit ſepulchrum; quandiu vixit,vixit in luctu, eodemque etiam confecta contabuit.huic enim erat illa opinio cotidie recens,quæ tum denique non appellabatur recens,cùm vetuſtate exaruit.Id verò malum quod in huiuſmodi definitione cadit,trium generum eſt,provt & bonum, quod malo opponitur, rerum externarum ſeu fortunæ vnum eſt malum, qualia ſunt naufragia,in quibus merces ditiſsimæ obruantur:alterum corporis,cuiuſmodi ægritudo ipſius eſt corporis,quęcunque illa ſit: tertium animi, cùm videlicet homo ſe animi bonis carere videt,vt ſunt virtutes intellectus tum ſpeculatiui tum practici. Triſtitia

tia porrò ipſa, quia animum ſolet vehemen ter ſummittere, & detinere depreſſum, ob id definiens illam Epicurus, Imminutionē eſſe dixit, propter rem quæ fugienda videtur. Imminutio enim elationi contraria eſt vnde & voluptatem, quæ triſtitiæ aduerſatur, deſcribentes, pronunciarunt eſſe illam elationem propter rem quæ eligenda videtur. Signa eius ſumuntur ex animi ſummiſſione, ex palpebrarum ſiccitate, ex oculorū cauitate, ex inſito quodam vultus pallore, & decoloratione: item ex gracilitate corporis. nam in triſtantibus gracilitas fit totius corporis, ac præcipuè oculorum. Cùm enim in ipſis multus cōtineatur ſpiritus, qui dudum ipſos in tumorem eleuabat, hic cū à triſtitia ſit abſumptus, concidere ipſos facit: pallor verò & decoloratio contingit, quandoquidem ſecedit in profundum innata caliditas, & quæ ſunt in ſuperficie, relinquit. Cognoſcitur verò & ex pulſu maximè hæc animi ſubmiſsio in triſtitia: appa ret nanque paruus, languidus, tardus & rarus, vt teſtatur Galenus. *Li. 4. de cauſis pulſuum*

CAPVT DECIMVM

De præſeruatione et cura à triſtitia per moralem Philoſophiam.

CHryſippus triſtitiam λύπην appellatā, quaſi λύσιν, id eſt ſolutionem totius

hominis putauit. nihil enim eſt quod magis eum lædat enecetque. Quare affectus iſte maximè propulſandus eſt. incipiamus itaque à præſeruatione. Triſtitię ſanè cauſam malum eſſe oſtendimus, triumque id generum eſſe: in bonis nempe fortunæ, corporis ac animi. Quapropter qui immunē ſe reddere vult illius perturbationis ſeu triſtitiæ, quæ ex amiſsione fortunarum contingere poteſt, tribus ſaltem præceptis obſeruatis, id conſequi valet. Primum illud eſt, vt ſibijpſi proponat, & fingat ſe in tali ſtatu conſtitutum eſſe, tanquam omnia bona ignoret quæ ſint, & nūquam ea poſſederit: nam qui hoc faciet, ex nullo malorum genere triſtitiam cōcipiet. Alterum, vt diſcat liberalis eſſe, auaritiæ inimicus, bonorum fortunæ contemptor: tunc enim nihil dolebit, nec ſi naufragia ſua audierit, nec ſi iumentorum interitus, nec ſi grandinis impetum in agros, nec ſi domos combuſtas, dirutáſve, nec ſi pecunias per furtum ablatas aut ab hoſte raptas nouerit. Tertium, ſi legerit quæ de compluribus philoſophis traduntur, qui liberos ſe ab omnibus animi affectibus reddere enixiſsimè ſtudebant, nihil deterius rati eſſe homini: & ſapienter id quidem, quàm animi perturbationibus excruciari, ſubijciq;, vnde vel ſponte fortunæ bona ampliſsima deſerebāt. Democritum

Abde-

Abderitam conſtat vſque adeò opulentum fuiſſe,vt pater eius Xerſis exercitui numeroſiſsimo epulum hoſpitaliter dederit,ſpretis tamen ipſe paternis opibus,in varias orbis terrarum partes ſeſe diſcendi cauſa contulit,tantumq; abeſt,vt audito aliquo fortunæ caſu, aut mutatione doleret, vti potius in riſum ſe verteret. Quis neſcit quanto ludibrio fuerint fortunæ bona apud Biantem quoque Prienenſem Philoſophum, vnum ex ſeptem Græciæ ſapientibus? hic enim capta patria,fugam arripientibus omnibus,aſportantibus ſingulis quæ poſsidebant,precioſiora, cùm interrogaretur, cur ex tot bonis ſuis ſolus ipſe nihil colligeret, Omnia bona mea(reſpondit)mecum porto,de virtutibus intelligens in animo recõditis. Pariter & qui dolore carere exoptat, vbi corporis malis torqueretur, tribus ad ſummum præceptis indiget, quorũ id primum eſt,vt toleranda ſibi aduerſa fortiter omnino perſuadeat, memor illorum Epicteti verborum ἀνέχου καὶ ἀπέχου,id eſt,ſuſtine & abſtine,quibus philoſophorum vniuerſa dogmata ad humanæ vitæ felicitatẽ pertinentia dum complecteretur, quis non videt primò ex his duobus verbis illum nos monuiſſe vt tolerantes euaderemus? Secũdum verò,quod veluti famulatur ad primi acquiſitionem,ideſt,vt nõ aſſueſcat is mol-

lis eſſe,ſed laboribus corpus duret, ac forte reddat: nam tantũ poſtea ex hoc emolumenti conſequetur, vt & frigora, & æſtus, & dolores acerrimos,& inediam, & omnia quę corporis excogitari poſſunt incommoda,fortiſsimè ſuſtinere aptus ſit futurus. Tertium in exemplis eorum conſiſtit, qui dolori reſtitiſſe traduntur. Inter quos Poſſidonius Philoſophus Apaminenſis ex Syria cùm aliquando arthritide,ſeu morbo articulari infeſtaretur, conſtantiſsimè fertur dictitaſſe:Nihil agis dolor,quáuis ſis moleſtus.nunquam ego te confitebor malum eſſe.Quid de Zenone Cittico dicam? Nõne is cibi etiam ſimplicis parciſsimi, crudique duntaxat patiens erat? ita vt ſi quis conſtantiam alicuius mirificè commendare ſtuderet Zenone illum continentiorem eſſe diceret.vſum eum fuiſſe tenui admodum pallio conſtat,neq; tamen ipſum ſæua hyems gelidusque imber,aut torridus ſol domuit neque vigiliæ vllæ.

Qui tandem mœſtitiæ minimè ſuccumbere vult, ſi fortè animi bonis vel careat, vel priuetur,quid poteſt is aliud moneri rectius,quàm vt intellectum exerceat perdiſcendis ſcientiis,moralibusque virtutibus animum imbuat? quis enim eo aut hilarior aut iucundior fuerit illis ſibi cõparatis bonis quæ hilaritatem animorum, ac iucunditatem

tatem admirabilem pariunt: quis enim neget, hilarem reddi, ac iucundum hominem in quo eximia virtus ſit: cum nobilitate reſplendeat, amicitijs multis decoretur, diuitijs affluat magnis, honoribus in Republica ſummis extollatur, quæ ſingula animi in ducere lætitiam poſſunt. Sed tranſeamus ad Curam, quæ in conſolatione in vniuerſum conſiſtit, atque ea quidẽ maxima: multi enim cùm ſint in officio conſolantiũ gradus (aliqui enim tollere funditus triſtitiam idonei ſunt, aliqui ſedare, nonnulli detrahere quàmplurimum, quidã ſupprimere, nec pati manare longius, alij ad affectum cõtrarium traducere) omnes tentandi ſunt quouſque ęgritudinem auferamus. Tollemus ergo triſtitiam, ſi docebimus id quod accidit, malum omnino non eſſe, vt Cleanti placuit. Sedabimus ſi oſtendemus nihil inopinati accidiſſe. Detrahemus quàmplurimũ, ſi demonſtrabimus illud non magnum malum eſſe, vt Peripatetici ſentiunt. Supprimemus, nec permittemus manare longius ſi de communi conditione vitæ diſputabimus, & de cõditione illius qui mœreat. Ad affectum contrarium traducemus, nempe ſi ad lætitiam conuertemus hominem, ſi à malis ad bona abducemus, vt Epicurus iubebat. In omnibus autem quæ à nobis dicentur, aut tollendo iuſtitiam aut ſedando,

aut detrahendo quàmplurimum, aut ſupprimendo,ſuccurrere exempla debebunt, vulgi ſententiam aliter ſentientis deſtruentia. Malum etenim omnino non eſſe oſtendemus id quod accidit,verbi cauſa Exiliũ, exẽplo Ariſtidis Atheniẽſis,qui ob inuidiã in exiliũ pulſus (quæ res vulgo dura admodũ reputatur) tantum abfuit,vt illud malũ eſſe cenſeret,vti potius precatus Deos ſit, omnia Atheniẽſibus,à quibus relegabatur ex animi ſententia ſuccedere. Nihil inopinati contigiſſe, vt liberorum interitum, ſi Anaxagoræ meminerimus,qui audito filij obitu,nuncianti nihil (inquit) nouum memoras,ego enim illum ex me natum noueram eſſe mortalem. Non magnum malum eſſe,vt ſecundæ fortunæ aduerſitatẽ, ſi cõmemorata Dionyſij Syracuſarum Tyranni expulſione,receſſus,qui ei Corinthi fuit,recordabimur, vbi pueris imperans, quos literas illic docuit, minus doloris ſentiebat ex imperij maioris amiſsione, Syracuſarũ ſcilicet. De communi conditione vitę diſputabimus,&de conditione illius qui mœreat,verbi cauſa,de corporis imbecillitate, deque ægritudinibus,Medicorum ſententiam afferendo,qui neceſsitatem tum corporis imbecillitatis,tum etiam ęgritudinis docẽt,quia cum homo ortus ſit,neceſſe eſt vt occidat,nullo autem pacto occideret, ni-

ſi cor-

ſi corporis imbecillitas, ægritudinesq́; prę uiæ forent, quæ paulatim membrorum vir tutes diminuunt, deprauant, corrumpunt. ſed quia mors mala videtur, ideo non hîc conſiſtendum, ſed dicendum inſtitutam eſ ſe corporis ab anima ſeparationem vltimi finis gratia, qui quidem optimus eſt, nempe vt ad meliorem vitam, qualis eſt cęleſtis incorruptibilis, æterna, tranſeamus.

Ad lætitiam autem conuertemus hominem, iubentes, vt malorum obliuiſcatur, quod vt fieri poſsit, vitæ genus cum riſu cõ iunctum inſtituemus, quod inſtitutum eſſe apud Principes ea ratione arbitror, vt ex contracta tum animo tum corpore defatigatione ex imperij negociorũ adminiſtratione, haberent exhilarationis occaſionem hinc adulatores, ſcurræ, & paraſiti, quales adfuiſſe Zopyrum Perſam Dario, Ariſtippum Cyrenæum Dionyſio, Apollophanẽ Antigono tradunt. Hinc Æſculapius medicorum Deus multas ſcribi cantilenas, mimosq́ue ridicularum rerum fieri, & melodias quaſdã præcepit his, quibus ob vehementiores animoſę partis motus, corporis temperamẽtum iuſto calidius efficeretur: nam ex lætitia exhilarantur ſenſus, exhilaratur totum corpus & animus, in quib. præcipuè conſeruandæ, prorogandæque vitæ cauſa conſiſtit. Hinc Luceia Mima centum *Gal. li. 1. de tuenda ua- ſetudine.*

annis pronunciauit in Scena, vt Plinius tra dit in naturali hiſtoria. Hinc Valeria Copiola, & ipſa Mima quartum vltra centeſimum vitæ ſuæ annum diſtulit, neque ab re: nihil enim eſt quod curarum obliuionem valentius, vt par eſt, inducat: curæ enim naturalem calorem corporis adeò exugunt, accẽdendo, exiccandoque, vt niſi maturè obſtiteris actum habeas de vita; fruſtraque Democritus eſſe contendas, cùm iam ob habitũ diu contractum Heraclytus effectus ſis.

CAPVT VNDECIMVM

De Præſeruatione et cura triſtitiæ per medendi artem.

CAuſæ ſex neceſſariò corpus noſtrum alterantes, mirificè valent ad triſtitiã propulſandam. Inter quas præcipuè aer eſt connumerandus. Optimus ergo debet eſſe, in quo degent qui triſtitiam fugiũt Optimus verò, vt primo de tuenda ſanitate legimus, eſt qui prorſus purus exiſtit, purus autem ſerenus eſt, qui enim ſerenus, humano generi gratiſsimus contingit. Vnde nil mirum ſi Homerus Fauonium inter omnes ventos admodum ſerenum flare per cãpos Elyſios dixit: ſi quis itaque ſerenũ hũc aerem eligit, loca aperta incolat neceſſe eſt

nam

nam præterquam quòd apertus aer valde oblectat: accedit etiam Solis claritas, quæ cùm facilè propter loci apricitatem communicetur, iucunditatem parit omnibus non mediocrem, quòd ex tenebrarum tolerantia facilè cognoſcitur: captiui enim in carcere detenti nihil magis conqueri ſolēt, quàm quòd à Solis lumine arcentur, atque ab aeris perſpicuitate, & propterea mœſti, pallentesque conſpiciuntur, ſic itaque adminiſtrandus aer. Quoniam verò triſtitia malum opinionis eſt, nō in re, ideo qui tollere ex animo opinionem mali idoneus eſt is planè triſtitiam pariter euertere poteſt. at quia leuationem ægritudinum animi in duobus præceptis ſtatuit Epicurus, Primū eſt in auocatione à cogitatione moleſtiæ, Alterum in reuocatione ad contemplādas voluptates, Tertium, nos addimus, quouis vtriuſque præcepti Epicuri includitur, motum in triſtitia fieri iubentes: nemo enim eſt qui non in ſe ipſo hoc experiatur motu fieri, ambulatione inquam, vt abſtrahatur ab acerbis cogitationibus animus, impellaturque ad varias voluptates, ita vt præteritarum miſeriarū memoria deleatur, ſpeſque conſequentium bonorum excitetur. Præcipimus tamen illud in motu, ſeu ambulatione, vt ſcilicet addatur comes, qui & amicus ſit, & ſuapte natura lętior, & ſermo-

nis amans.hoc enim adeò refert vt propter hoc facundus comes in itinere pro vehiculo habitus ſit à celebri illo Comico. Addo & illud,vt per loca delectabilia iter fiat,qualia ſunt horti,fontes,ſpectacula,ædificia:iuuat enim oculos occurſus rerum diuerſarũ quæ videri poſſunt,atque inde tacitè ſubrepit obliuio eorũ quæ triſtitiæ cauſa ſunt. Iocorũ verò amœnitas id præcipuè parit. quis enim eſt,qui ſi per virides hortos deambulet,non exultet animo,ac corpore,cũ tot herbarum,florum,fructuum varietates tam gratas vmbras,tam iucundas auras, tã dulces diuerſarum auium garritus,tam lucidos fontiũ riuulos admiretur?hoc ipſum eſt quod tam ſtudioſum hortorum Cyrum olim Perſarum Regem fuiſſe tradit antiquitas. Quemadmodumverò motus,vt motus eſt,non eximit à triſtitia hominem, ita nec quies,vt quies eſt,ſed ſi in quiete interius, exteriusque oblectationem venetur. Exterius quidem per ſenſuum omnium exhilarationem,quod primum mandamus. Interius verò per animi compoſitionem, quod ſecundum eſſe præceptum volumus. Exhilarantur omnes ſenſus, vbi ſingulorum obiecta grata ſunt. viſus delectatur rerũ pulchritudine, vt auri,argenti,gemmarum,picturarum,& cæterorum huiuſmodi viſibilium. Auditus ſoni iucunditate ac vocis,vt inſtru-

inſtrumentorum muſicalium, carminum, facetiarum, nouarum rerum, quæ afferre lętitiam queant, & afferantur ab his qui pulchro ſint aſpectu, ſermoniſque lepôre polleant. Olfactus rerum odorabilium ſuauitate, quæ caput minimè repleant, quod experimẽto potius quàm arte dignoſcendũ. Guſtus ſaporum varietate, quæ multiplex admodũ eſt. Tactus multarum contrarietatũ diuerſitate, ſed rerũ mollitie maximè, vt ſunt molles pelles, quales ſublimes illę Gebellinæ vocatæ, & Armellinæ, & ſi qua huiuſmodi ſunt tãgibilia. Componitur porrò animus, & in requiem redigitur, per aliquẽ aut eius qui triſtitia confectus eſt, diſcursũ aut alicuius, qui aſsiduus illius comes eſt. In quo quidem diſcurſu conſideretur triſtitiæ cauſam vel nullã, vel paruam eſſe. Nec dubium id quoque eſt conciliari ſomnum debere in triſtitia, prohiberi verò vigiliam: primùm quidem, quoniam cùm in ſomno ſenſus omnes vincti ſint, obliuio oriri ſolet opinionum, quæ animum occuparunt, ex quib. ortũ habet triſtitia: deinde quia ſomnus humectat, ſpirituum effluuia cohibendo, quibus ſpiritibus egent qui triſtes ſunt, ineſt nanq; his extenuatio corporis ob ſpirituum in vigilia factam per halitum digeſtionem, exiccationemque. Cibus autem & potus eadem ratione conueniunt, qua

ſomnus:humectant enim ambo totum corpus,& blandos ſpiritus gignunt,ex quibus non ſolùm poteſt triſtitia propulſari, ſed & læta mens fieri.Debet autem vtrunq; paulò vberius admoueri,& cui roborandi tum principalia,tum deſeruientia illis membra vis inſit.Principalia ſunt cerebrum,cor, iecur.Cerebrum ex potu ſyrupi facti ex decocto corticum citri, ſaluiæ & roſarum cum aquaviolarum robur accipiet,atque ex chebulis myrobalanis cum ſaccharo vel melle condîtis:item ex floribus ſaluiæ, eo modo quo roſæ ſolent,cum ſaccharo compoſitis & adſeruatis. Cor ex potu aquæ roſaceæ, in qua ocimi maioris, & quod verè ocimũ eſt,folia uel ſemina immerſa fuerint,roborabitur. Item ex gariophyllorum puluere, cum eadem aqua,& Cretenſi vini pauxillo ebibitó.Iecur eupatorio vulgò apud nos agrimonio vocato iuuabitur,chamæpity,& cichorio,illo quidem ſi frigus eſt, hoc ſi calor,reliquum ſuperante.Poſſunt hæc vel in vino,vel in aqua coqui,vel per aquæ bulliẽtis vaporem ex eis ſuccus clarus in duplici vaſe elici,qui & limpidus aſpicienti, & valde idoneus bibẽti erit. Et de principalium membrorum robore pauca hæc dicta ſint.

Ad deſeruientia accedamus,initio à ventriculo ſumpto,qui iecori famulatum præſtat:quanquam enim hîc indignioris principis

cipis ſeruitio deſtinatus videatur, eius tamen ſeruitium adeò neceſſarium eſt, vt nec ſummi principes, cor & cerebrum abſq; eo nedum proprio munere fungi, ſed nec diutius conſiſtere valeant. Robor accipit ſanè ventriculus ex iure perdicis cũ gariophyllis coctæ, mirum in modum. Neruis qui cerebri famuli ſunt, maximum adminiculum pręſtát veræ acori radices condîtæ. Pulmones cordi ſubſeruientes iuuantur paſſulis dulcibus, caricis pinguibus, glycyrrhizę radicibus recentibus. Hæc breuiter ſunt quę ſingula ſingulas corporis partes principales & ſubſeruientes reſpiciunt. Supereſt autem compoſitio quædam, ex cuius vſu mirificè homo exhilaratur, necnon & robur omnibus membris accipit. Accipiẽda ſunt ſem. cucurbitæ, melonum, cucumeris, nucleorum pineę, fiſticorum, amygdalarũ dulcium, ſingularum vnciæ duę, aquæ roſaceę libra vna, ſacchari albiſsimi libræ quatuor ita vt confectio fiat ad liquidioris electuarij formam, & in fine coctionis addatur his puluis, in quo cinnamomi electi, ſandalorumque citrinorum vncia ſit ſingulorum vna, gariophyllorũ drachmæ duæ, ambræ drachma vna, moſchi grana 15. foliorum auri, & margaritarum ad libitum, fiat autem puluis tenuiſsimus oportet. Neque inutile foret ſcire, quod nam ſeminis genus in Tur

P. Iouius in libello de Turcarum origine.

cicis regionibus notũ, vſurparet olim Sultanus Selimus Turcarum rex, vbi memoriam rerum moleſtarum exuere vellet. Dicunt enim qui de illo ſcribunt tantæ ſemen illud energiæ fuiſſe, vt eo ſumpto incredibili modo lætus redderetur, curarumque immemor. Oportet & rectè ſe gerere in his quę excernuntur, retinenturque: nam cùm melancholicus aggregetur humor, his qui triſtitia obſidentur, neceſſe eſt, vt vel clyſteri vel pharmaco inteſtina abluantur. Sunt verò in hunc vſum multa & ſimplicia & cõpoſita accommodata. inter ſimplicia myrobalani Indi, ſenæ folia, & folliculi, epithymum, fumus terræ, ſerum lactis: inter compoſita electuarium lenitiuum, diacatholicon, confectio hamech, præterea pilulę de fumo terræ, & quæ dicuntur, ſine quib. eſſe nolo, & infinita alia. animaduertendum autem ab vſu primùm iſtorum incipiendum, deinde ab his quæ roborandi cauſa attulimus: non enim ante roborãdæ partes ſunt, quàm humor melancholicus in triſtitia cõceptus, eductus ſit.

CAPVT DVODECIMVM

De definitione metus, De partibus ſubiectiuis, De Symptomatibus, De procliuioribus ad metum, Demum de cauſis eius.

Quem-

QVemadmodum bona natura appetimus,ſic & à malo natura declinamus: declinatio verò cum ratione facta, cautio appellatur, eaque intelligitur in ſolo eſſe ſapiente: quæ verò ſine ratione, & cum exanimatione humili atque fracta, metus nominatur. Eſt igitur Metus ratione aduerſa cautio. Definitur ea à Stoicis alio modo ſic: Metus eſt opinio impendẽtis mali, quod intolerabile eſſe videatur. Huic generi partes plures ſubijciũtur, nimirum pigritia, pudor, terror, timor, pauor, exanimatio, conturbatio, formido. Porrò maximus eſt hic affectus (metus inquam) inter omnes, quod facilè poteſt ex ipſius ſymptomatibus colligi, cuiuſmodi ſunt pallor, tremor, pilorum erectio, alui atque vrinæ egeſtio, bilis deiectio, teſticulorum, cutisq; cõtractio, algor, ſitis, ſilentiũ, ventris murmur & crepitus, genituræ profluuium, tremor voce & manibus, & labro inferiori, mors denique. Pallor contingit, quòd natura humana, visq; interior, quæ corporibus noſtris conſulit, ne quid extrinſecus capiat detrimenti, continuò fugit, & ſe ad loca cõfert penitiora cuſtodiæ gratia (quemadmodum nos quoque domum eadem cauſa petere ſolemus, quò cùm properat, ſanguinẽ ſecum trahit, quo ſolo vehiculo, alimẽtoq; vti conſueuit. ſanguis autem eſt, qui florem

noſtro corpori largiri poteſt. Tremor, quoniam vis etiam animalis per conſenſum vtique naturalem diffugiẽs, neruos relinquit imbecillos, qui ſuo robore membra ſuſtinent, firmaque tuentur. Hæc eadem ratio eſt, cur & aluo fundantur, & mingant incõſultè. muſculi nanq; quorum intereſt meatus excrementorum claudere debilitati retinere amplius nequeunt. Eriguntur pili, quoniam affectus hic refrigerat, refrigeratio autem foramina cutis adducit & cõdenſat: plus enim cùm vndique aſtringatur, intenditur, atq; erigitur. Deijcitur bilis, quia calor deſcendens diffundit, ac liquefacit. Teſticuli contrahuntur, quia metus inuectus extrinſecus eſt, vt fugam in aduerſum agi oporteat. Cutis & ipſa cõtrahitur, quia calor inde fugit omnis. Algor contingit, quòd calor locis ſuperioribus deficit. Sitis quòd humor deficit. Silentium, quia metuentibus corpus refrigeratur, calorq; ima petit, qui ſpiritum mouet, quò cum deſcendat, ventris murmur fit & crepitus. Profluuium accidit geniturae quia ſcortũ ſurſum conuellitur, atq; eo contracto, vnà contrahuntur & teſticuli. Tremor voce fit, quia calor pectus deſerit: id n. refrigeratur, quod vocẽ mouet. Manibus fit etiá tremor pari ratione. Labrũ quatitur inferius duntaxat, non ſuperius, quia ſuperius eò pendet, quò ſua-

quò ſuapte natura vergit, inferius ſurſū caloris beneficio ſtabilitur, atq; quieſcit, quo ſublato alget & tremit. Mors deniq; ſequitur, & à vita diſceſsio, quando nimius eſt metus: quoniam vis naturalis admodū interiorem ſubiēs partem ſanguine calorem inſitum, atque vitalem ſolitum de corde oriri obruit vniuerſum, atque extinguit: qua ratione oleum quoq; multum, vniuerſumque lucernæ infuſum flammam poteſt extinguere: calor enim corporis ille peraptè flammulæ lucernæ reſpondet. Sunt porrò ad metum procliuiores longè mulieres, q̃ homines, quod ad ſexus rationem attinet, atque inter eas quæ frigidiori temperatura conſtāt: nam bellicoſas fœminas, quarum multa egregia facta extolluntur, calidiores omnino fuiſſe, iudicandum eſt, vt Amazonas. Eadem eſt inter homines ratio: ex quo diſcere, velut methodo quadam, licet, quo frigidiores ſunt, eo paratiores ad metū eſſe quo calidiores, fortiores. Ob id Ariſtoteles in Problematibus, quærens, cur homines fortes magna ex parte vinoſi ſunt, refert id ad caliditatem, inquiens, bibendi auiditatē à membrorum calore oriri: Vinum enim & ſi natura calidū eſt, ſitim tamen plus quàm aqua reſtinguere poteſt. quare ſicut ille fortes, calidos vocat, ita nos imbecillos, frigidos eſſe dicere poſſumus.

Sect. 28. Probl. 4.

Cæterùm metus cauſæ, aliæ proximæ ſunt, aliæ longinquæ. Proxima cauſa eſt falſa cogitatio iacturæ imminentis in bonis externis, ſeu fortunæ, & periculorum in bonis corporis. Remotæ verò ſunt cauſæ, melancholia, quę quomodo timorem inducat infrà dicemus, necnon & frigida temperatura: remotior his eſt educatio. ſunt enim nonnulli, quorum infantia, ac pueritia ſub mulierculis fuit, quos in omni vita timidos videmus. imbuti enim ſunt fœminilibus nugis, & anilibus opinionibus, cuiuſmodi ſũt quæ traduntur de nocturnis laruis, de defunctorum circa tumulos errore: quæ omnia tanquam ita ſe habeant, ætatem illam edocẽt, in qua homo cũ velut ἄγραφα γραμμὴ id eſt, raſa tabella, ſit, omnia ſuſcipit, retinetque, tunc etiam cùm adoleuerit: nec ſolùm in his metuens eſt, in quibus eſt educatus, ſed etiam in cæteris poſtea omnib. meticuloſus euadit, ita vt vel muſcas prætervolitantes, vmbramque ſuam, vt aiunt, metuat, qualis me herclè videtur mihi fuiſſe Piſandrus ille, quem adeò timidum extitiſſe tradunt, vt anxius foret, ne ſuam ipſius animam alicubi videret, quæ ſe viuum reliquiſſet.

De Præ-

CAPVT XIII.

De Præſeruatione et cura metus per moralem Philoſophiam.

POſſunt hominum animi conſiderandis rebus humanis proprio Philoſophiæ frui officio,& aduerſis caſib. triplici conſolatione ſanari. Innititur prima conſolatio perpetuæ in omni vita cogitationi,nihil eſſe quod accidere non poſsit. hæc enim cogitatio vna maximè omnes moleſtias obtúdit,& extenuat. Secunda illi,quòd humana feréda ſint. Tertia illi, nẽpe quòd nullum malum ſit, niſi culpa, culpam autem nullam eſſe, quum id fortè eueniat,quod ab homine non poſsit caueri vt non eueniat.Oppugnátur tribus hiſce præceptis cauſæ metus,pręcipuè proximę: ſed difficile admodum eſt conſequi id quod in ipſis continetur, niſi virtute præditus ſit, qui in aduerſis caſibus,atque in metu tripli ci modo dicta conſolatione ſanandus eſt: nam virtute duce fortes viuimus, nulla re vnquam terremur,ſemper inuicti ſumus,& magno animo, vſque adeò vt Xenocrates ille grauiſsimus Philoſophorum, beatam vitam in virtute ipſa reponeret:quæ quidẽ vita beata in ſecuritate poſita eſt. Securitatem nunc appello vacuitatem ægritudinis animi,ita vt ſit inexpugnabilis,ſeptus, atq;

munit9,liber à temeritate,quæ exceſſus eſt: & à timiditate,quę defectus,in fortitudine: conſtitutus,quę mediocritas exiſtit. Quòd ſi quis ita animatus ſit, tunc denique polliceor hunc ita in metu fortem fore, vt nullo modo conſternetur, quicquid alij ſibi fingát mali,quod euenire poſsit, ſiue id ſit fortunæ,ſeu corporis malum. Fortuuæ quidẽ vt ſi nuncient in periculo eſſe litem conſtitutam,in qua de maximis agatur opibus: ſi de grandinis impetu in agros. Corporis verò,vt ſi ſe de obitu dicant illius vereri, cùm ægrotet,ſi de vulneribus,aut de nece cum inimicos habeat. Quantũ ſpectat ad remotas metus cauſas,dicamus primùm de puerili educatione. Non eſt ea planè ita temerè committenda mulierculis,ſed imperandum eſt illis,vt prorſus caueant à doctrina rerum omnium, quæ meticuloſos pueros reddere valeant,docendæque ſunt exemplo aliquo,quantum referat eo modo teneram illam ætatem inſtituere,ac conformare, vtpote quia tenaciſsimi ſumus eorum, quę à teneris annis accepimus. Quod olim Lacedæmonijs in vnum locum coactis Lycurgus legiſlator acceptis duobus canibus oſtendit,quos cùm dimiſiſſet, depoſitis prius olla,leporeque in medio, factum eſt, vt helluo educatus domi ad ollam,alter ad venationes,ad leporem accurrerit: cumq; Lacedæ-

cedæmonij ſtupentes admirarentur, quid ſibi hoc vellet: Ambo (inquit) iſti catuli ijſdem parentibus editi ſunt, ſed propter educationem diuerſam, alter guloſus, alter venator euaſit. Nec aliam ob cauſam, duplicē mercedem poſcebat Apollodorus Athenienſis ab illis diſcipulis, qui alio antè præceptore vſi fuerant, niſi quia laborandum ſibi magnopere videbat, vt dediſcerent, quod ab alijs male in primis vitæ annis tenaciſsimè acceperát. Quod verò ad reliquas duas remotas metus cauſás pertinet, frigidā ſcilicet temperaturam, & melancholiam, inſuper & ad præſeruationem metus ab omnibus cauſis per medendi artem, ſatius puto hęc in proximum de Melancholia caput reijcienda, ne bis idem fruſtrà repetamus.

CAPVT XIIII.

De Melancholia quid ſit, quot eius ſpecies, quàm uariæ imagines.

POſtquàm ſeparatim de Triſtitia, Metuque loquuti ſumus, nunc coniunctim de vtriſque agēdum eſt. Fit enim interdum & affectio in homine talis, vt ſimul vtraque eum inuadant: atque affectio hæc, nonniſi melancholica eſt. Hippocratis enim omnia melancholicorum accidentia in hæc duo coegit, eo aphoriſmo: Si *Sect. 6. Aphor. 23*

timor ac mœſtitia diutius hominem detinuerint, nihil aliud id arguere, quàm melãcholiam. Inſtituendum itaque meritò eſt etiam de melancholia caput. duo enim hęc ſi tantum ſeorſum conſiderata obſunt, nōne maius negocium faceſſent, ſi coniungãtur? niſi quis fortè neget, validiores eſſe cõtra vnum duos hoſtes. In primis autẽ quid Melancholia ſit, dicendum videtur: dehinc quot eius ſpecies ſint, tertio loco quàm variæ imagines in ea appareant, demum ad præſeruationem & curam deueniendum, cùm per Philoſophiam moralem, tum per medendi artem.

Cæterùm ad conſtituendam melancholiæ definitionem; illud ſciendum eſt, quòd in humoribus noſtri corporis, etiam ſecundum naturam ſe habentis, pars quædã craſſior reperitur, fecibus vini haud abſimilis, quæ dum veluti fex ſanguinis permanet, humor melancholicus vocatur à Galeno, in libro de Plenitudine: vbi verò ex vehementi aſſatione (qui affectus eſt corporis, præter naturam ſe habentis) acidus exactè factus eſt, melãcholia dicitur, ſeu atra bilis: ante verò quàm talis fiat, dicitur à Galeno

Cap. 9. in libro ſecundo de Differentijs febrium, humor qui nondum exquiſitè in atræ bilis naturam tranſijt, ſed in quodam ſit confinio atræ bilis conſtitutus. Ergo quum ab hu-

ab huiuſmodi humore melácholico & melácholia attolluntur ad cerebrũ euaporationes, melancholica quędam ἔκστασις ſeu mẽtis alienatio contingit, ſine febre tamen, ita vt definire melancholiam poſsimus, vt ſit melancholia animi deſipiẽtia citra febrem, ortum habens ex melancholico humore, vel à melancholia, ad cerebrum euaporante, mentiſque temperaturam corrumpẽte: Id ipſum verò tribus contingit modis, vt ſcribit Galenus in libris de Locis affectis. *Lib.3. cap. de melancholia.* Accidit enim cerebro, vt nonnunquam vniuerſo in venis ſanguine melancholico effecto ob commune vitium, ipſum quoque lædatur: interdũ verò reliqui corporis ſanguine prorſus innocuo, ſolus is qui in cerebro contentus eſt, alteratur: idque bifariã fit, aut enim aliunde in ipſum deriuatur, aut in ipſomet melancholicus humor genitus eſt, quum videlicet internus calor, aut flauam bilem, aut craſſam, atrumque ſanguinem ſuperaſſauit.

Eſt prætereа tertia Melancholiæ ſpecies quam veterum medicorũ aliqui hypochõdriacum, flatuoſumque morbum nominãt proueniens ob inflammata, & malè affecta circa ventriculũ hypochondria, à quo modò auram, exhalationémve quandam maligniorem melancholicam, modò ſubſtantiæ humoris partem ad cerebrum tranſmit

tunt. Quemadmodum enim nonnulli fre quenter eleuata à vẽtriculo fuliginoſa quædam, ac fumoſa exhalatione, aut omnino craſſo vapore quiddam ſimile præ oculis obijci ſentiunt, ſic aſcendente ad cerebrum melancholica exhalatione tanquam fuligine aut fumo, melancholica ſymptomata circa mentem eueniunt. Quare tres ſunt in vniuerſum melancholiæ differentiæ: Vna, cùm totum corpus melancholico ſanguine redundat: Altera, quando is ſanguis cerebrum duntaxat occupat: Tertia, quando hypochondria primùm malè affecta in conſenſum ſubinde cerebrum rapiunt. Cæterùm quia ſuperius dictum eſt, melancholiã à timore, & mœſtitia, tanquam charactêre quodam deſignari, ob id operæprecium eſt noſſe, quomodo in melancholicis ea duo fiant. Sanè quum atra bilis rationalis animæ arcem occupat, timorem ac mœſtitiam inducit. Quum enim videamus in reb. externis maximè nos à tenebris perterrefieri fit, vt ſi quippiam tenebris ſimile rationali parti animę circumfundatur, timere homo cogatur. circumfunditur porrò id in corpore melancholici. Quod enim nobis extrinſecus accidit, quum ambiens nos aer mœſtiſsimis tenebris fuerit obſcuratus, id melancholicis ab intimo corpore erumpere videtur, occupante cerebrum, vel ipſamet

atra

atra bile,vel vapore quopiam humoris melancholici,vt diximus, ceu in eo membro, quem & inflantem,& hypochondriacũ appellant. Mœror autem timorque,vſqueadeò inualeſcunt quandoq;, vt mœrore quidem confecti,mortem ſibi laqueo conſciſcant aliqui,timore verò alij formident impensè admodum mortem ipſam, Hanc fortaſſe ob cauſam:nam cùm vita in caliditate conſiſtat & humiditate, melancholici verò frigiditate & ſiccitate,quibus prædita melancholia eſt,premantur, ob id morti ſeſe proximos redditos putát. Frigiditas enim, & ſiccitas,cum ſint vitæ oppoſitæ,qualitatibus ſuis ad mortem corpora perducunt, & ex eo mortuos Grȩci ἀλίβαντας vocât,quaſi nihil humecti in ſe habentes,vtpote tum caloris abſentia eo exhauſtos, tum frigore rigentes.

Occurſant igitur diuerſa melancholicis viſa,timorem quidẽ præſeferentia,ſed non eodem ſemper genere contenta. Siquidem alius vas fictile ſe factum putauit,atque iccirco obuiantibus cedebat,ne collideretur ab incurſu illorum. Alter timuit, ne Atlas, qui mũdum ſuſtinere dicitur,grauatus ſub tanto onere ipſum à ſe excuteret,atque ipſe cum illo contereretur,ac nos quoq; cum ipſo periremus. Porrò alios pleroſque legimus,vidimus,audiuimus, item nonnullos

quorum ſuperfluum eſt, fortè etiam ſupra vires noſtras,omnium velle meminiſſe:verùm has appoſuiſſe ſufficiet,quę melancholicis ſolent euenire imaginationes. Quare ad præſeruationem tranſeamus huius humoris,qui naturá humanam tam malè peſſum dat,atque vſque adeò afficit, vt viuentes ſe viuere neſciant,&pereuntes ſe perire non ſentiant.

CAPVT XV

De præſeruatione à melancholia per moralem Philoſophiam.

EVpolis Ariſtidem illum,qui dictus eſt Iuſtus,Niciæ interroganti, quonammodo iuſtus euaſiſſet,probè,grauiterque reſpondentem inducit, Naturæ quidẽ primum maximumque munus fuiſſe, dein de verò ſe quoque prompto animo naturá ſuam ſequutum,eam adiuuiſſe: ex quo liquidò conſtat Naturam primũ,deinde ſtudia,exercitationesque diſciplinarum plurimum in cunctis poſſe. Quod ad naturam pertinet,ſi videamus in pùerili ętate aliquẽ ſemper hilarem,omnibus de rebus ad ridẽdum promptiſsimum,cui æqua omnia, ac communia placeant,qui ad ignoſcendum, facilis,mitisque ſit, neque iraſcens, neque plorans,hunc aptiſsimum eſſe noſſe debemus,qui melancholicis ægritudinibus obſiſte

ſiſtere aliquando poſsit. Iuuanda verò iſthæc natura eſt exemplo domeſtico: nam, cùm pueri quæ vehementer, frequenterq́; attenderint, ea imitari ſoliti ſint, contingit, vt ſi parentes ſortiti ſunt huiuſmodi, qui ob nullius in re familiari iacturæ euentũ mœrore conficiantur, quæcunque illa fuerit, ipſi quoque ex huiuſmodi obſeruatione tales poſtmodum eſſe aſſueſcãt. Quod ad ſtudium, duo ſunt obſeruãda, primum vt Philoſophos audiant, & moralis philoſophiæ, quæ compeſcit affectus, præceptis imbuantur, atque ita animi mentiſque perfectioné & tranquillitatem conſequantur, vt rerum humanarum domini euadant, atque ſub pedibus omnes affectus habeant. Alterũ eſt, vt legant accuratè veterum Philoſophorũ vitas: quos equidem à Deo optimo maximo mundo datos puto, ad componendos hominum animi mores. quamobrem gratiæ agendæ ſunt Diogeni Laertio, cæteriſque cumulatiſsimæ, qui eas ſcriptis memoriæ mãdarunt ſuis. Vltimo loco, in eo quòd exercitationem eorum concernit, quæ natura animis indidit primùm, poſtea ſtudiũ auxit, conſideranda duo ſunt: Alterum dè aſsidua mundi huius viciſsitudine, ac vertigine (ex tali nanque conſideratione melancholici homines eſſe deſinent) cùm nõ tam citò timor nos inuadat, quàm citò ſpe-

randi erumpat occaſio,non tam citò mœre amus,quàm citò gaudendi cauſa nobis ſeſe offerat. Alterum eſt de anguſta annorum noſtrorum conditione, breuique hominũ vita: qua perſpecta, intelligent huiuſmodi homunculi,quàm damnabile ſit mortem ſibi cum perniciofis huiuſmodi affectib. animi accelerare. Sed quid vim moralis philoſophiæ affero in cohercendis mœrore ac timore ſine cauſa manifeſta exiſtẽtibus; quales ſunt quos melancholici patiuntur? cùm & mœrorem & timorem manifeſtiſsimas cauſas habentes, quæ nec vituperetur qui timeat,nec qui de ipſis mœreát, floccipendere doceat? Si cui planè dolendum eſt vnquam, aut mœrendum ob aliquam iacturam,quæ maxima ſit,quis filiorum amiſsionem iacturæ vlli comparet? tamen Philoſophia hæc, dulcis humanæ naturæ parens, conſtantes homines aduerſus hanc calamitatem facit. Hinc illud Telamonis, Ego cũ genui,moriturum ſciui,de Aiace filio inquiens,mortem illius nuncianti. Quòd ſi Telamon ita dixit, quid miramur Anaxagoræ Clazomenij ſimile dictum in ſimili re? Præterea ſi quid timẽdum eſt, terribiliſsimum ſanè omnium timendum, mortem autem huiuſmodi eſſe nemo eſt qui neſciat,tamen philoſophia eadem,ex qua animæ immortalitatem ſuſtinemus, nos contra mortis

que-

quoque timorem animoſos reddit, neque illam nos expaueſcere permittit, dum vitã hac corruptibili, longè ſpondet feliciorem poſt carceris huius exitum. Quis eſt qui nõ ad mortem hanc animetur, dum legit apud Platonem, quæ ſapientiſsimus ille ab oraculo Delphico dictus Socrates, verba facit ad amicos paulò antè, quam venenũ haurit, ſibi ab Athenienſibus deſtinatum? Dij immortales, quam beatitudinem deſcribit perinde acſi antea cæleſtia bona oculis perluſtraſſet. Philoſophia Anaxarchum quoq; Abderitam Democratis ſectatorem, fortè reddidit inter extremos vitæ cruciatus, cõtra Nicocreontem Cyprium tyrannum, à quo cum ferreis malleis in pilo ſaxeo contunderetur, non modò verbum illud apud omnia ſecula memorabile, ingeminauit, Tunde, tunde Anaxarchi follem: Anaxarchum enim non tundis: ſed etiam cùm approperarent, qui iuſſu tyranni linguam illi abſcinderent, ſtatim ipſe dentibus abſciſsã & præmanſam linguam in os tyranni præ furore vociferantis conſpuiſſe dicitur.

Recedant itaque à nobis meticuloſi iſti, quibus vmbrarum apparitiones circa mortuorum ſepulchra, de animarum errore opinionem ingerunt. Abeant & qui vel prore leuiſsima animo conſternantur, triſtesq; ſunt. Nos verò interim auxilium, quod per

medendi artem cóſequimur,aggrediamur, vt inimiciſsimam hanc humani generis hydram, Herculea claua conteramus, faceq; admota penitus extinguamus.

CAPVT XVI.

De Præſeruatione et cura à melancholia, per medendi Artem.

QVa ratione probam in alijs affectibus præſeruandis Diętæ normam in primis inſtituimus,eadem quoque in hoc maximo affectu, ſtudioſè admodum ipſam obſeruandá monemus. Ab aere incipientes, Quippe aer cótrarius eſſe debet qualitatibus, quibus melancholia prædita eſt, ſunt hæ frigiditas & ſiccitas, vt in libris de Temperamentis apud Galenum habemus: quare verſandum eſt in aere calido & humido. Quanti enim momenti ſit aer ad corporis valetudinem, ex eo conſtat, quòd vtilitatis reſpirandi materia aer eſt, à qua mirum in modum affici corpus videmus. atque id eſt quòd Medici ægros, ſolum mutare patrium cogunt, aliquando ad externum aerem illos relegantes, quemadmodum monet in Epidemijs Hippocrates. Galenus quoque Romæ pul monis vlcere laborantes, iubebat, vt ipſemet in lib. Meth. teſtatur. ad Tabias, quòd illic

Li. 6. Epid. Aphor. 20.

Lib. 5. Methodi ca. 12

illic eſſet aer ſiccior,proficiſci. Oportet etiam in motu & quiete modum quendam adhibere:exercitatio nanq; mediocris probatur,nimia obeſt, propter reſolutionem, quæ fieri poſſet in his qui parati ſunt melãcholiam incurrere. Sunt enim habitu corporis gracili.Poteſt autem fieri exercitatio (omnem corporis motum nunc exercitationis nomine dignamur) per ambulationem,planis potius ſub locis,quàm accliuibus & decliuibus,rectã,non flexuoſam, vacuo,non pleno ventre,leniorem ab initio, ſenſimq; creſcentẽ,demum ſenſim quoque ad finem venientem,qui tamen citra ſudorem & laſsitudinem ſit. Geſtatio quoq; nõ parum præſtat emolumenti:calorem enim excitat,habitum firmat,ſomnum prouocat ſuperuacanea è ventriculo & capite diſcutit.Equitatio præterea ſtomachum roborat,ſenſusque purgat,pectori tamen, & inguinibus nocet.Prodeſt & interdum nauigatio,& rheda per loca plana vehi, vtrunq; tamen fieri debet,facie ad poſteriorem partem conuerſa.Circa ſomnum pariter & vigiliam diligentia vtendum, neque vlli dubium quòd vigilia aduerſiſsima eſt huiuſmodi corporibus.Extenuantur enim & exiccantur nimis à vigilia,à ſomno verò augentur & humectantur:per ſomnum enim corpus eſt calidum & humidum, vt etiam

ſè huiuſmodi parit humorem. Præterea vina craſſa, nigraque præſertim, ſi quis abundè ipſa ingerens oblata occaſione in multo corpus calore contineat. Omnes itaq; monitos velim, vt huiuſmodi victum perhorreſcant, & cibis boni ſucci, humidis & temperatis, non ſiccis & duris, non flatuoſis alantur. Pane in furno cocto, ac probè confecto veſcantur. Carnibus pullorum, auium montanarum, caponum, gallinarum, perdicum, phaſianorum, vitulorum lactantium, caſtratorum iuuenum, columborum, merularum, turturum, turdorum vtãtur. Item piſcibus ſaxatilibus, pelagicis, littoralibus, velut ſunt auratæ, gobij, paſſeres, barbones cauedini, lampredæ, & ſimpliciter piſces omnes, qui neque inſuaue, neque mali odoris, neque glutinoſum quicquam guſtu repræſentent. Olera ſunto hęc, lactuca, endiuia, bugloſſus, borago, lupuli, acetoſa, aſparagi, cappares, beta, ius braſsicæ cum ſaccharo. Inter arborum fructus, ficus recentes, paſſulæ, amygdala, pini fructus, granata medij ſaporis, quæ dulcacida dicuntur: citri cortices, præſertim cõdîti, ceraſia parua acida, oliuæ condîtæ, pyra, cotonea, mala cocta cum ſaccharo vel melle, pruna, perſica condîta, piſtacia, auellanæ. Vinum conuenit tenue, album, neq; valde antiquum. Quòd ſi in huiuſmodi vino, ſaltẽ in primo

cyatho, meliſſa cum boragine máſerint, antequàm bibatur, per duas horas, mirum in modum proderit. Vt verò libètius omnes mala alimenta auerſentur, adſcribam hîc Galeni ſententiam, notatu ſanè digná, quá in libris de Facultatibus alimentorum poſteritati reliquit obſeruandam. Cæterùm
Lib. 2. ca. 6. illud perpetuò (inquit) memoria teneto, quòd etiamſi quis, quiduis quæ alijs concoctu ſunt difficilia, coxerit, ſuccus tamen qui ex eo in corpus diſtribuitur, eádem retinet naturam. Et paulò poſt: Ob eam igitur cauſam omnibus praui ſucci edulijs cẽſeo abſtinendum, nobis enim nõ animaduertentibus, prauus ſuccus ex ipſis poſt lõgum tempus in venis colligitur, qui poſtea exiguam ad putreſcendum occaſionem nactus, febres malignas accendit. Sed maximè refert ille præſeruandi modus, qui pariter & curandi eſt: qui fit per ea quæ excernuntur, & retinentur, qualia ſunt ea omnia
Cap. 11. de quibus meminimus in Præſeruatione triſtitiæ per medendi artem, quo loco primum dandam operam monuimus, vt melancholia euacuaretur, deinde ne amplius gigneretur, iecur roboraretur, vt bonũ ſanguinem faceret, lienem vt benè à ſanguine eam expurgaret, cor quoque & cerebrum, vt probè ſe tuerentur, ventriculum, vt bonum & ipſe chylum generaret. Quòd ſi quẽ

tædet

tædet illuc recurrere, aut nõ ſufficiunt quę ad abigendam triſtitiam tradita ſunt, in hãc præſeruationem & curam, dicam ſingillatim quæ neceſſaria ſunt in omnibus melancholiæ ſpeciebus. Vbi ergo ex totius corporis conſenſu, aut ipſius cerebri primario affectu melancholia orta ſit, ſiue propter ſolicitudines, ſiue ob vigilias, aut ex prauorũ ciborum eſu, aut ex hæmorroidum ſuppreſſione, initium medendi à lenitiui exhibitione faciundum, ad euacuandum in primis id quod in ventriculo, & inteſtinis, vijsque (vt aiunt) ductuum reperitur: quod fiet cõmodè, cum electuario lenitiuo, & hiera. Secanda dehinc vena brachij dextri, præcipuè autem media, eo quia communis eſt & humerariæ, & iecorariæ, extrahendumque quantum ſat erit ſanguinis. Facta ſanguinis miſsione, non omittenda per pharmacum euacuatio, ſed quia concocta medicari atque mouere, non cruda oportet, teſte Hippocrate, ideo propinabitur per quinque dies antè ſyrupus de fumo terræ, de agrimonia, roſatus vnà cum decoctione cicoreæ, boraginis, fumi terræ, & agrimonię. 1. Apho. 22
Poſtea hæc ſumetur potio, in qua electuario lenitiuo, ſyrupo roſato ſolutiuo, & confectioni hamech permiſtæ ſint aquæ fumi terræ, & agrimoniæ. Tum denuo iteratis ijſdem ſyrupis per totidem dies accedendũ

erit ad hoc, quod proximè deſcribam, medicamentum: in quo accipienda ſunt ſenæ folia, polypodium quercinum, cortices radicum hellebori nigri, liquiritia raſa, paſſulæ, ſemina endiuiæ, aniſi, citri, & cum his decoctio paranda ex arte, in aquis agrimoniæ & fumi terræ, factaque colatura in ea infundendum rhabarbarum, ſpica, zingiber, vini cretici paululum: mox facta idonea expreſsione, addendus ſyrupus roſatus ſolutiuus, & confectio hamech. Præterea ſi ab hæmorrhoidum retentione melácholia dependeat, prouocandæ iliæ quidem cum hi-
6. Apho. 11 rudinibus. melancholicis nanque illas ſuperuenire, bonum, dixit Senex. Eſto enim quòd ſubtilem attrahant ſanguinem, craſſumque dimittant, tamen ex illarum applicatione per ſe poſtea aperiuntur hæmorroides, & craſsi tum ſanguinis copia ingēs emanat. His actis, paranda domi balnea ex aquis dulcibus, in quibus totus proſternatur vſque ad guttur, melancholicus, deinde corpus vniuerſum inungendum ei cum oleo de roſis illis, quas vulgus Moſchetas dicit. Porrò ſi ob hypochondriorum offenſionem, eo quia ferueat ſanguis in meſaraicis inter hepar, & ventriculum, paſsio conſtiterit, in conſenſum ſubinde cerebrum rapiens, vtendum diureticis & exobſtruentibus. Inſtituta itaque illa medēdi methodo

qua-

quę modò tradita eſt, dehinc ad medicatas ſacrasque, ſeu naturales balneorum aquas mittendi, ſiue vt de Villa nũcupatas in Lucẽſi, ſiue vt Aquarianas in Mutinenſi agro ſumát. aperiunt enim ambæ obſtructiones lotiumque cient. Quoniam verò deſicca turventer melancholicis, ideo ſingula quaque hebdomade toto anno purgandum ſe mel ſaltem eorum corpus, ita tamẽ, vt quæ offerantur hepatis reſpiciant contemperamentum, & ventriculi, apertionemq́; vena rum meſaraicarum. Nihil igitur ad hanc rẽ præſtantius ſaccharo roſato cum puluere rhabarbari: educet enim hæc miſcella ſemper aliquid aggregatum in meſaraicis: aut cum dianthos confectione, aut diamoſchi dulcis ſpeciebus, & diacinnamomo. In æſtate verò caſsiam exhiberem: ſed iam recepti canamus opus eſt, ſi tamen antea addiderimus vnum aliud ex medicorum decretis ad euacuationem melancholicorũ pertinens. Indulgent enim illis modicum Veneris vſum, & per interualla, vehemẽs nanque & frequens, ipſorum temperaturis ad frigidum, ſiccumque vergentibus vehemẽter obeſt, propter excretionem calidę & humidæ ſubſtantiæ. A Venereis autem abſtinere religio iubet illum, qui vxorem nõ habet, cui certè potius obediendũ, quàm medicis. Nõ enim ſunt pro corporis commó-

do, cuius tutores medici ſunt, faciẽda, quæ animæ, cuius religio cuſtos eſt, nocere poſ ſunt. Induxit autem hos ad concedendam venerem moderatam melancholicis atræ bilis natura, flatus ciens, vſque adeò, vt vitia corporis quæ flatum præſeferunt, iliũq; dolores atræ bili medici tribuant. Inde fit, vt magna ex parte venis tumidi ſint, quib. melancholia redundat, & libidine affluentius concitentur. concubitus enim flatus copia agitur, indicio id eſt quòd penis ex paruo citiſsimè in molem augeſcit inſignẽ. intumeſcere enim ita nonniſi ex flatu poteſt; quocirca coitus, uidetur à nimio illo flatu liberare. Semen enim deceſsio flatus eſt, ut docet Ariſt. in Probl. in eomet Problemate, quo quęrit, cur libidinoſi ſunt qui melancholici. Vbi addit quibus idipſum eſt amplificatum, hos ſæpe purgari appetere. Sic enim efficitur, ut leuẽtur, & lætiores ex eo euadát, quod magnopere medici quęrunt, cõtraria cõtrarijs opponentes. Quod Galenus conſiderãs in libro Artis medicæ ubi de uenereis loquitur, dicebat uenereum coitum conferre, generatim intelligẽs, quando ex eo homo quodammodo leuior factus, ac melius ſpirare ſibi videtur, id autem contingit in moderato vſu duntaxat: quandoquidem in Epidemijs docet immoderatum officere. Itaque Diogenem Cynicum

Sect. 4. Problem. 31.

Cap. 86.

Lib. 3. Aphor. 4.

cum, virum alioquin omnium mortalium, quod ad continentiam pertinet, continentiſsimum habitum, libidini indulſiſſe alibi narrat, non à copulata illi voluptate, velut bono aliquo, illectum, ſed vt noxam, quæ à retẽto ſemine prouenire ſolet, euitaret: atque vt leuaretur, cùm prius ſemen retentũ illius corpus degrauaret, pigrumque redderet, non aliter quàm cætera naturæ pondera. Noxam verò cõſtituebat, opinor, vel ſpeculatiui intellectus impedimentum, ob ſeminis vapores cerebrum petentes, vel ægritudinem corporis. verùm ex hac techna excuſationẽ tacitè venabatur. Cadit enim quippe venia ex Ariſtotelis ſententia, cum quis fecerit, quæ non oportet, ob quædam intolerabilia.

Lib. 6 de locis affect. cap. 4.

Lib. 3. Eth. cap. 2.

CAPVT XVII.

De Inuidia quid ſit, De partibus ſubiectiuis inuidiæ, De partibus definitionis inuidiæ, et De cauſis inuidiæ.

QVI ſupereſt affectus, de quo poſtremo loco Galenus quoque meminit eodem capite, quo & cæteros enumerat in libro Artis paruæ, maximè profectò auertendus eſt, vtpote naturę humanæ, ſiquis alius vehementer infenſus inuidia ſcilicet, quod facilè cognoſcemus, ſi prius quid ea ſit patebit. Sed antea notan

Cap. 85.

dum,ſiue inuidiam dicamus, ſiue inuidentiam, nihil referre, vſurpemus tamen in definitione nomen inuidiæ quaſi vſitatũ, magis pro nuidẽtia minus vſitato verbo, hoc pacto. Inuidia eſt animi ægritudo ex alterius rebus ſecundis, quæ nihil noceant inuidenti. & dicitur Græcis φθόνος quaſi φόνος id eſt, cædes, vt intelligamus non plures cęde, quàm inuidia perimi. tractum eſt autẽ inuidiæ nomen à nimis videndo fortunam alterius, quòd oculos & animũ in eos, quibus inuidemus, aſsiduè intẽtos teneamus. Proinde etiam ſignificat inuidia actum ipſum inuidendi, quo inuiti bona aliorum intuemur. nihil mirum ergo, ſi animi ægritudo dicitur. Porrò ægritudo generis loco ſe habet, ad ſpecies quæ ipſi ſubijciuntur: cuiuſmodi ſunt angor, dolor, mœror, afflictatio, ſolicitudo, moleſtia, & pleraque alia. quare tantundem eſt, ac ſi dicas, inuidiam eſſe animi angorem, dolorem, mœrorem, afflictationem, ſolicitudinem, moleſtiam. ex quibus cognoſcitur qualis quantusq́ue affectus ſit inuidia: non enim ſynonyma hæc ſunt: differunt enim inuidentium inter ſe animi: aliquos nanque velut torpidos inuidia reddit, aliquos ad fletum cogit, nonnullis cruciatum affert, nonnullis cogitationẽ, alijs corporis vexationem, in quibuſdam fixa eſt admodum, in alijs leuis. Quod liquidò pa-

dò patet ex definitione dictarum ægritudinis ſpecierũ: angor enim eſt ægritudo premens, mœror ægritudo flebilis, dolor ægritudo crucians, ſolicitudo ægritudo cum cogitatione, moleſtia ægritudo permanẽs: afflictatio ægritudo cum vexatione corporis. Tranſeamus modò à genere ad differẽtias ſpecificas, quibus inuidia ſeparatur à quouis alio affectu. Id enim munus eſt ſpecificarum differentiarum, vt per eas definitum à cęteris omnibus definibilibus diſiũgatur. Sunt hæ duæ, quarũ quæ prima eſt, primum etiam locum ſibi vendicat in definitione: (Ex alterius rebus ſecundis.) Secunda reliquis verbis cõtinetur, (Quæ nihil noceant inuidenti). Quod ad primam differentiam ſpectat, Per ſecundas res alterius, ex quibus naſcitur eiuſmodi ęgritudo intelligimus ſecundas in omni genere bonorum contingentes, nempe animi, corporis, rerum externarum, ſeu fortunæ. Sunt animi bona, quæ conſilio & cogitatione cõſtant, vt prudẽtia, iuſtitia, fortitudo, modeſtia. Corporis bona ſunt ea, quæ natura corpori attribuit commoda: vt velocitas, vires valetudo. Rerum externarum ſunt ea, quę caſu aut fortuna ſecunda accidere poſſunt: vt genus, educatio, diuitiæ, poteſtas, gloria amicitiæ, & quæ ſunt huiuſmodi. Sed videamus quomodo naſcatur actus inuiden

di. Naſcitur is ſanè inter pares &inferiores.
Inter pares quidem, dum alter alterum ſu-
perare in aliquo trium dictorum bonorum
genere contendit. inter inferiores verò, dũ
ſuperioribus hi pares fieri ſtudẽt in aliquo
eorundem bonorum genere. Procedit au
tem is actus inuidendi aliquando mitius,
& occultius, aliquando acrius & apertius:
mitius quidem & occultius procedere co-
gnoſcitur, quando ex propoſitis, virorum il
luſtrium in aliquo genere bonorum exem
plis, homines ad induſtriam, & artẽ exper-
giſcuntur. acrius & apertius, quando ad ri-
xas concitantur. Ariſtoteli primùm inui
dendi modum aſcribere poſſumus; cum I-
ſocrate Athenienſe Rhetoricen docẽte, cœ
pit & ipſe pomeridianis illis ſuis ambula-
tionibus dicendi artem docere, illud dicẽs,
αἰσχρὸν σιωπᾶν λαλοῦντος ἰσοκράτους. Themiſtocli
pariter poſſumus aſcribere: nã & is de mul
ta nocte ſurgens ad ſtudiorum lucubratio-
nes exclamabat, Milciadis trophęa excitãt.
Altero inuidendi modo laborauit Zoilus
Sophiſta, qui cum egenus eſſet, Commen-
tarios in Homerũ compoſitos, Ptolemæo
Regi Ægyptiorum obtulit, vt & ipſe Com-
mentarijs illis ſibi victum pararet, ſicut an-
tè Homerus fecerat, dum opera ſua vulga-
ret. Fuit & Adrianus huic inuidiæ obnoxi-
us, qui Traiani gloriam adeò iniquè tulit,
vt Ar-

vt Armeniam, Aſſyriam, Meſopotamiam, ab illo acquiſitas Parthis conceſſerit,& pōtem ſupra Danubium (quē ille magno ſum ptu conſtruxerat) euerterit. Sed, ſi verum eſt, quod de Ariſtotele tradunt quidā, dum ſcribunt eum præceptoris ſui Platonis bonam operum partem flammis dediſſe, certè etiam in eorum numero collocādus eſt, qui acri illo,& aperto inuidendi actu affecti fuerunt. Cæterùm vtrum dederis inuidiæ genus, ſemper tamen inuidus cum proſpera efferri fortuna aliquem videt, in cunctis turbatur, vt tradit Ariſtoteles in Ethicis,& moleſtè fert, differtque in hoc ab indignante, quoniam indignans moleſtè fert cùm ſecundæ res cedunt haud merētibus, acciditque cùm turbatur inuidus ob proſperam alterius fortunam, vt vel conuicijs inceſſat fortunatum hominem, vel factis offendat, vel intus abrodatur, cū videat nullo modo ſe poſſe obeſſe cui velit, aut videre illius, cuius optet, miſerias. Sed plerunqụe fit, vt ſecum diſcrucietur,& torqueatur: nā cum iniuſta ſemper ſit inuidiæ cauſa, erubeſcimus detegere inuidiam,& ſi quid modò facimus vel dicimus, alia cauſa quàm propter inuidiam, moueri nos videri volumus differt itaque ab odio, quoniam odium palàm aliquando profitemur, quòd illius multæ cauſæ iuſtæ eſſe poſſunt. Quare cùm oc-

Lib. 2. ca. 7

cultum ſit inuidię malum, videmus corpus inuidorum antea ſatis carnoſum paulatim contabeſcere, vt rectè dixit Horatius eo verſu:

Inuidus alterius macreſcit rebus opimis.

Ita vt inuidia maximus ſit cruciatus. Quod Phalaridis Agrigentini exemplo doceri po teſt, qui cum noua ac magna ſemper com miniſceretur ſupplicia, nullum denique ho mini maius poſſe vlli conſtitui cenſuit ſup plicium, quàm inuidiam. Ad quod alluſit idem Poeta illo etiam verſu:

Inuidia Siculi non inuenêre Tyranni
Maius tormentum.

Sunt verò multa alia præter maciem ſigna, quibus afficiuntur inuidi, inter præcipua eſt riſus priuatio, maximè vbi commẽdari aliquem, vel parem, vel ſuperiorem in aliquo bonorum genere audit. Comitatur & toruus oculorum aſpectus, nox inſomnis, & cætera huiuſmodi multa. Superest modò altera in definitione poſita differentia: neque enim fruſtra addita ſunt ea verba (Quæ nihil noceât inuidenti) Nam ſi quis doleat eius rebus ſecundis, à quo ipſe lædatur, non rectè dicitur inuidere ei, ſed odiſſe ipſum. Vt ſi verbi cauſa Agamemnon doleat ob victoriam Hectoris, à quo læditur ob interfectorum Græcorum perniciem, nõ inuidere ſanè Hectori dicendus eſt, ſed odiſſe

odiſſe potius Hectorem. inuidere enim verè dicitur, qui doleat quempiá his frui com modis, ex quibus ipſe nihil detrimenti ſentiat.

CAPVT XVIII.

De Præſeruatione ac cura Inuidiæ per moralem Philoſophiam.

Si rectè ſuprà definiuimus inuidiá, dicentes eam eſſe animi ægritudinē ex alterius rebus ſecundis, quę nihil noceant inuidenti, inueniēdus nobis eſt affectus, in quo quis gaudeat ex alterius rebus ſecundis, tametſi nullum ex illis fructū percipiat, vt tutum hominem faciamus ab inuidia. Is verò nonniſi beneuolentia eſt. Eſt enim beneuolentia charitas erga homines, quos complectitur, amat, & fortunatos eſſe deſiderat. Sed nullo pacto antè introduci in humanis animis hic affectus poteſt, quàm ceſſet inuidia. Inuidiam porrò ipſam quinque modis ſaltem ceſſare moralis Philoſophia facit. Primùm quidē oſtēdendo, nihil humanæ naturæ magis aduerſari, quá inuidiam. Humana enim natura fecit hominem animal ſociabile propter vitæ huius neceſsitatem, eo quòd vnus homo ſibijpſi minimè ſufficit: quare & loquendi ei vſum tradidit, per quem poſſet alter alteri conceptum ſuum exprimere diſtinctè, & particu

lariter,vbi adiuuari ab alio vellet. Sociabile verò per amicitiam fecit, non per illam quidem,quæ propter vtile eſt & delectabile:quoniam facilè ſoluitur hæc ſublato vtili & delectabili,ſed per illam, quæ propter honeſtum eſt,qua qui ſunt ſimiles in virtute,& ſunt amici,ſibi inuicem bona volunt, inquantum boni ſunt, id eſt, ſecundum ſe, non autem propter vtilitatem vllam,& delectationem amantis. Si quis modò eſt,qui inuidia torqueatur,nonne is amicitiam tollit? ita ſanè.amicitia enim non inuidet amicis bona,qualiacunque ea tádem ſint, imò cum ſit in honeſto fundata,nõ ſolùm libenter videt in amico præſentia bona, ſed & alia illi optat. Si itaque tollitur amicitia,vtique & ſocietas: ſi verò ſocietas,quis nõ videt corruere pariter & inſtitutum naturæ, quæ fecit hominem animal ſociabile? Secundo modo delere inuidiam moralis Philoſophia poteſt, demonſtrádo nullum hoc ipſo malignius vitium eſſe. Quid enim malignius,quàm ſi ferre nequeas alium hominem bona aliqua poſsidere, quæ ſibi ſudoribus,& vigilijs ipſe pepererit? quę nihil ad te iure vllo ſpectent? quæ nihil tibi noceát? Tertio modo docendo ex aſsidua rerum ſublunarium vertigine & varietate fieri poſſe, vt priuentur bonis illis quibus inuidemus in præſentia,ex quorũ amiſsione ceſſa-

turus

turus noſter dolor ſit. Si enim conflata ſit ex bonis externarum rerum inuidia, docebimus quàm facilis ex ſublimi fortuna ad humilem lapſus ſit, quum quotidie id in humana vita ſpectetur, vt ſtatim inops ſit, qui modò diues fuerat: Si ex corporis bonis, ſubita aliqua ęgritudine corripi poſſe & cõtabeſcere corpora oſtendemus: Sin etiam ex animi bonis, ſimiliter fieri poſſe, vt ex ægritudine, vel noxa corporis aliqua, animus quoq; iacturã ſentiat, vt Meſſalæ Coruino accidit, qui præ morbi magnitudine ſui etiam nominis oblitus eſt, & Metrodoro Philoſopho, qui cùm in parte capitis poſteriore ictum ex lapide accepiſſet, theſaurum rerum in memoria reconditarum amiſit. Quarto modo ſpem animis inijciendo de futura proſperitate, quæ nunc nõ adſit: eadem nanq; ratione, qua docuerimus res humanas ad miſerum ſtatum deduci, dicemus ipſas à miſero ad felicem euehi, imò id vno eoq; tempore contingere. illius enim calamitas, qui cecidit in infortunium ex bonorum amiſsione, felicitas eſt alterius, qui in eorundem ſucceſsione conſtituitur. Quinto demum modo, acquirendi rationẽ ac viam bona illa proponendo, quæ inuiti intuemur in illis, quibus inuidemus. In primiſq; ſuppoſito eo quòd naturæ donũ ſint bona corporis (licet nonnihil ad ea faciat

ars medica, vt infrà patebit) declarabimus in eo qui animi ſibi comparare bona velit, quinque eſſe oportere. Primum Naturam, ingeniùmve perſpicacem ad quamlibet diſciplinam conſequendam. Dehinc educationem, exercitationemq́; à teneris annis in primis diſciplinis. Ad hæc tertium, vt quibuſque optimis tempeſtate ſua habitis præceptoribus, ſe auditorē præſtet. Quartum laboris eam patientiam, vt diu noctúque nihil cogitet aliud, quàm quæ ad diſciplinas ſpectant. Quintum vt veritatis amore teneatur, cęteris omnibus neglectis, quę à quàmplurimis aliorum multi fieri ſolent. Hęc qui habeat neceſſariò, aduētura illi animi bona pollicebimur. Ad externarū rerū acquirenda bona, laborem partim propriū partim alienum facere demonſtrabimus: aliquando verò penitus ab alieno: nonnūquam etiam à proprio duntaxat ea accedere. Sunt enim multi, qui non ſolùm genus, & educationem à parentibus acceperunt, ſed & reliqua, diuitias, poteſtatem, gloriam, amicitias. Sunt ex aduerſo alij, qui nihil omnino maioribus, aut parentibus acceptū referre poſſunt: atque hi ſunt quibus propria induſtria quærenda ſunt omnia. Methodus autem iſtorum quærendorum nulla facilior, potiorque eſt, quàm ſi animi ſibi

bona

bona comparent. conſequuntur enim eos qui animi bonis cōſpicui ſunt, vniuerſa, ſcilicet genus, diuitiæ, poteſtas, gloria, amicitiæ.

CAPVT XIX.

De Præſeruatione et cura Inuidiæ per medendi Artem.

PRæſtò eſt etiam ex arte Medica inuidiæ ſubſidium, non omni quidem, ſed illi, quæ ex corporeis bonis conciliatur. neque enim agere vltra gradum proprium Ars medica poteſt, vt ſcilicet & alijs generibus auxilio ſit. Sunt verò præcipua, ex quibus conflatur inuidia ex corporeis bonis, pulchritudo, vires, velocitas, ſanitas addo & balbutiem. ſi quis enim æger eſt, aut praua præditus temperatura, nō poteſt is nō inuidere illi, qui ſanitate fruitur, quique ad ſummum totius mediocritatis, qualis Polycleti regula, in temperatura peruenit. Inuidet & imbecillis forti, ac veloci, & deformis formoſo. Ratio itaque ineunda eſt, qua conſeruentur ſanitas, vires, velocitas, pulchritudo: ſi à natura, quod plerunque fit, inſunt: at ſi non inſunt, qua reſtituātur. Quandiu nanque adeſt huiuſmodi bonorū priuatio, tandiu adeſt & naturale deſiderium illorum. Dicamus ergo in primis de SANITATE. Enimuerò cùm partes

ſimilares corporis humani ſuam habent temperiem,necnon & organicæ formationem, magnitudinem, ſitum, & numerum conuenientem,& ambæ decentem vnitatẽ poſsident,tunc ritè in operationibus obeundis corpus animæ inſeruire poteſt.& nihil aliud eſt ſanitas. Conſeruatur autẽ hæc & melior fit cùm cognoſcitur (cognitionẽ nunc ſupponamus,de illa enim infrà loquemur) cumque modi quibus lædi poteſt caueantur. Sunt porrò quæ illam lædunt,quędam intrinſeca,quædá extrinſeca: extrinſeca ſanè vitari facilè poſſũt,vt gladius, caſus ab alto,aer & huiuſmodi alia. Ea verò quæ intrinſeca ſunt,quædam ſunt nobiſcum nata,quę vitari nullo modo poſſunt, quędam autem,quę ex nobiſcum natis reſarciendis originem ducentia,vitari conſilio & ratione poſſunt.Priora quidem ſunt, exiccatio & fluor totius ſubſtantiæ, quæ incommoda ortum ab elementis habent, quæ in nobis ſunt,calidioribus & ſiccioribus; neque ſubijciuntur hæc arti medicæ, quòd vitari nequeunt. Poſteriora verò ſunt hæc erroris commiſsio in reſtitutione exhauſti,&in expulſione excrementorum: quæ duo, modò rectè adminiſtrentur,duo ſanitatis ſcopi conſeruatores ſunt. Reſtituitur autẽ exhauſtum per deperditi ſimilem reparationem. Quoniam itaque corpus noſtrum ex

qua-

quatuor conſtat elementis, ſit vt ignea & aerea ſubſtantia deperdita, tenuis cum ſit, reſpiratione & tranſpiratione reparetur: quæ duo reſtituũtur optimè ex optimi aeris electione, quæ repoſita eſt in clymate bono: ſiue modò huiuſmodi quartum ſit vt ſenſit Auicêna, ſiue quintum, vt Auerroes, ſiue potius ſextum, vt ex poſterioribus qui dam ſuſtinent, id nunc non eſt diſputandũ. Item in conſtitutione anni bona, in qua vnumquodque tempus ſuam ſeruet naturã, necnon & in tempore anni præſtantiore, quod vernum eſt ex omnium ſententia.

Terrea verò, aqueáve ſubſtantia, quoniam craſsior eſt, cibis & potibus reſtituitur, quę bonum alimentum ſuggerant, facilè concoquantur, facilè diſtribuantur, & diu à putredine ſeruentur. Petenda verò eſt ciborum materia ex Galeni libris de Alimentis: item ex tractatu de cibis boni & mali ſucci. Similiter & potuum, non ſolùm ex ipſo Galeno pluribus locis, præcipuè verò in libro de Facult. aliment. ſed ex Dioſcoride lib. v. & capite v. Expelluntur poſtmodum excrementa motu & exercitatione, ſed non antequàm ſeparata ſint ab ea alimenti parte, quæ nutritioni ſubſeruiat: ſit verò ſeparatio per concoctionem, concoctio per ſomnum. Hi ergo ſunt duo ſanitatis ſcopi, nempe exhauſti reſtitutio, & excremento- Li.3.ca.40

rum expulſio, in quibus ſi error committá-tur, ſanitas amittitur, cui ſuccedit morbus illi oppoſitus, qui cum malus ſit, expelli debet: expellitur autem vbi cognoſcitur, cognoſcitur verò ex ſanitatis oppoſitione, id eſt ex immodico affectu primo lædente operationes, ex quo tria morborum genera excitantur, ſcilicet immoderatus affectus in partibus ſimilaribus, necnon in organicis, præterea vnitatis deſtructio vtrarumq; partium. Porrò ſub vnoquoq; genere plures reponuntur ſpecies, atque ſub primo, quòd intemperies dicitur: ſpecies primò eſſentiales hæ ſunt, quòd vel eſt intemperies vnius qualitatis, vel duarum, aut cum materia, aut ſine materia. Accidentales verò, quòd vel in vna parte corporis intẽperies ſunt, vel in toto. Intemperies ſine materia ſimplices, quatuor ſunt, calida, frigida, humida, ſicca, totidemque compoſitæ, calida & ſicca, calida & humida, frigida & ſicca, frigida & humida. Quòd ſi cùm materia ſint, & in parte aliqua corporis, communi nomine tumores appellantur, quorum quatuor præcipua genera ſunt, quemadmodũ & quatuor ſunt humores. Si enim ſanguis in aliqua parte congregetur, tumor fit, qui dicitur phlegmone: ſi bilis, eryſipelas, vel herpes: ſi pituita, œdema, vel ſcirrhus: ſi melancholicus humor, atra bilis, elephantiaſis

cancer.

cancer. In toto verò intemperies, tot fieri modis poteſt, quot modis affici cor aptum eſt, à quo ſolo totius poteſt intẽperies manare. Quod cùm tribus partibus conſtet, nempe ſpiritibus, humoribus, propriaque ſubſtantia, tres quoque totius generantur intemperies, quæ alio nomine febres dicũtur. Si enim ſpiritus alterantur, ephemera fit: quando autem humores alterantur, ita vt omnes intra venas putreſcant, ſinocha fit febris: quòd ſi vehemens putredo ſit, peſtilens erumpit febris. At ſi vnus duntaxat humor putreſcat, cõtinuæ aſſurgũt febres. Quòd ſi extra venas expulſus ſit humor, & putreſcat, interpollatæ generantur. Cùm verò contigerit, vt cordis ſubſtantia alteretur, febris tunc oritur Ethica. Secundi generis morborum, quod poſitum eſt in immoderatione partium organicarum, quatuor primæ ſpecies ſunt: aut enim in formatione, aut in quantitate, aut in numero, aut in ſitu immoderatio exiſtit, & harum quælibet alias etiam ſub ſe cõtinet ſpecies. Formatio nanque & in figura, & cauitate, & ſuperficie, & meatu vitiari poteſt. Quantitas & numerus in eo quod maior, aut minor exiſtit quàm par ſit. Situs quoque vel ratione loci, vel ſocietatis vitiari poteſt.

Tertium demum morborũ genus, quod vtriſque partibus commune eſt, ſolutio di-

citur cõtinuitatis, cuius variæ ſpecies ſunt: vel enim ab extrinſecis fit, & dicitur vulnus quod multifariam diuiditur: aut nanq; eſt inciſio, aut punctura, aut contuſio: vel ab intrinſecis, & dicitur vlcus. Morborum porrò cauſæ triplices conſtituuntur, ſcilicet procatarcticæ, & antecedentes, necnon & coniunctæ, vt recentiores addunt, Auicennam ſequuti. Quoniam verò in profundo corporis latent hæ morborum cauſæ, ideirco inſtituta eſt medicinæ pars σημειωτικὴ id eſt, de ſignis agens, tum his quæ morbũ & locum affectum indicant, tum his, quæ temperaturam quoque totius, ac partium principalium oſtendunt. Sed hæc de morbis hucuſque, de quibus dixiſſe prius oportuit, quàm de reſtituenda ſanitate loqueremur. neque enim ſanitatem medicus introducere poteſt in corporibus, niſi morbos illorum nouerit. ex cognitione nanque morborum & locorum affectorum, & temperatura corporum medicus curá aggreditur. Sanat igitur ſumptis indicationibus à morbo, & coindicationibus, quæ in omni particulari actione omnino cõſiderandæ ſunt, à virtute, ætate, ſexu, habitudine, temperatura, conſuetudine, loco affecto, & tempore, quo curandus eſt æger. Tribuſque ad hanc rem inſtrumentis vtitur, Diæta, Chirurgia, & Pharmaco, quibus tria morborũ gene-

Fen 1. *Can.* 1. *Summa* 1. *Doct.* 2. *cap.* 1.

genera tollit. nam ſi fuerit intẽperies tantùm ſine materia, tunc cum oppoſita qualitate occurrit: ſin autem cum materia, & in aliqua parte corporis, vt ſi ſit phlegmone, euacuat materiam illam, aut abeuacuat, idcirco in inflammationibus à principio vtitur repellentibus, & reuellentibus, mox etiam reſoluentibus. Sin autem intemperies ſit in toto ſine materia, vt contingit in Ephemera, tunc illam paruo negocio, ſola ſcilicet diæta, curat. Si verò cum materia ſit, vt in putridis febribus contingit, in omnibus à principio venæ ſectionem adhibet etiam in tertiana ſimplici. Dum verò pharmacum exhibet, educit quæ educere oportet, quo maximè natura vergit per loca cõferentia. id verò ſtudet, vt concocta medicetur, ac moueat, non cruda, nec in principijs, modò non turgeant: quæ verò turgẽt, pauca admodum ſunt, neque ventris deiectiones multitudine æſtimat, ſed ſi talia deijciuntur qualia conueniunt, & ægri facilè tolerant: in acutis præterea morbis raro, & in principijs purgãtibus pharmacis vtitur, atque hæc nõ ſine magno examine exequitur. In primis verò attendit Criſes, quæ ſi integrè fiunt, tunc nihil ipſe mouet, aut nouat, nec medicamẽtis, nec alia irritatione, ſed naturę permittit negociũ. In reliquis generibus morborum ſcopum ſequitur, om-

nium curandorum morborum communiſſimum, generaliſsimumque: contrarium, inquam, ita ſuadente Galeno in libro de cõſtitutione Artis medicæ: traditum enim & ab Hippocrate prius eſt, Contraria contrarijs remedio eſſe. quare & particularia contraria, particularibus contrarijs, quæ mihi nunc proſequenda nõ ſunt, ſed ab officina Hippocratis & Galeni petenda. Veniamus modò ad reliqua corporis bona inuidiam concitantia. Sunt hæc inter alia, Vires, quę circa magnorum laborum tolerantiam verſantur, duceque exercitatione conſeruari & acquiri ſolent: exercitatio nanque membrorum duritiem, natiui caloris augmentũ & ſpirituum citatiorem motum præſtat, in quibus vires ſtant, ſed aſsidua debet eſſe exercitatio, & ſingulis corporis partibus æquabiliter adhibita. effœminatur enim corpus, quanuis muſculoſum, ſi diu laborẽ intermittit. Nihil enim aliud Milonis Crotoniatis vires tam famoſas fecit, quàm exercitatio aſsidua: qui (vt in hoc exercitationis genere oſtendamus in vniuerſum, quanta ſit cuiuſq; exercitationis vis) Taurum ſuis humeris valenter geſtare per ſtadij ſpaciũ minimè potuiſſet, niſi lactentem vitulum quotidie portaſſet. ex eo enim factum eſt, vt quantum creſceret vitulus, tantum & Milonis augerentur vires, vnde nihil mirum, ſi idq-

Cap. 12

ſi idoneæ tanto oneri ferendo fuerunt. Ex eo autem ſpectari maximè exercitationis vis poteſt, quòd qui aſſueti ſunt laboribus, etſi ſint imbecilles, aut ſenes, facilius eos ferunt non aſſuetis fortibus, ac iuuenibus, vt tradit Hippoc. in Aphoriſmis, quantum etiam viribus conſeruandis acquirendiſque alimentorum conferat materia, multum & bonum præbens alimentum: id quidē, vel ſi taceam, intelligi ſcio.

Sectione 2. Aphor. 49

Sed & Velocitatem inter corporis bona connumerauimus, quare quo pacto & illā adipiſci queant pigri ac tardi homines, vt ne velocibus inuideāt doceamus. Illud autem animaduertendum eſt, nos de illis loqui tantùm, qui tardi ſunt, eo quia nimis obeſo ſunt corpore: nam ex claudis quoque cruribus tarditas contingit, cui fruſtra remediū quæras. Fit ſanè corpus obeſum ex cauſis, & ex regimine victus, omnino his contrarijs, quæ gracilitatem pariunt. fit verò gracilitas ſi plus quàm par eſt exercitando fatigatus eſt homo, aut concitatiore motu vſus, aut fricando, aut lauando modum exceſsit. Præterea vbi nimia cogitatione, aut vigilia conſumptus eſt, aut vbi per aluū longè plura iuſto deiecit, atque in domo calidiore verſatus fuit, necnon & vbi parcius comedit, aut bibit, Venerique liberius indulſit. Ex his porrò habentur etiam obe-

ſitatis cauſæ: cùm enim contrariorum contrariæ cauſæ ſint, omnia quæ cõtraria ſunt, ijs quæ gracilitatem párere diximus, cauſæ obeſitatis ſunt. Verùm etſi gracile potius quàm obeſum corpus eſſe opus eſt ad velocitatem idoneum, tamen non eædem velocitatis ſunt, quæ gracilitatis cauſæ, imò eorum quæ gracilitatem inducunt, plurima velocitati obeſſe ſolent: diſſoluunt nanque & debilitant corporis robur, quod alioqui, durum, forte, atque agile eſſe debet, vt velox eſſe queat. Corpus itaq; ad velocitatẽ accõmodatũ, tribus ſit ad ſummũ conditionibus prædītum, requiritur: oportet enim vt mediocriter ſit muſculoſum, vt perſpirabile, vt minimè ventroſũ. muſculoſum quidem mediocriter: quoniam ſi conferatur cum eo quod gracile admodum eſt, nec alia cadat inter hæc corpora cõſideratio, velocius eo reperitur. Si enim velocius id eſt, vt definit Ariſtoteles, quod in tempore æquali pertranſit maius ſpacium, quis dubitat, quin corpus, in quo maius quantum adeſt, maiorem etiam virtutem habeat ad peragendum curſus ſpacium, & maius & citius? Perſpirabile quoque ſit, opus eſt, nam in curſu maximè neceſſaria corporis eſt difflatio, quæ duplici modo fit, vno modo effuſis ad exteriora vaporoſis, atque fuliginoſis ſuperfluitatibus: alio modo intus attra-

Li. 6. Phyſ. tex. 11.

ĉta re

cta refrigerante, ac ventilante natiuum calorum aerea ſubſtantia. Quòd ſi malè diffla bile corpus eſt, vel quia aliqua cauſa potentior meatus anguſtiores effecit, vel quia ob ſtructiones intulit, ineptum curſui exiſtit. Interrũpere enim curſum, interpoſita quiete cogitur: alioqui periculum de ſuffocatione immineret. Quòd verò minimè ventroſum eſſe debet. patet id quidem: nimis nanque degrauatur illo pinguium inteſtinorũ pondere, quod alioquin expeditum requiritur. Ob id canes curſorios venatores ipſi ita alunt, vt aluo pauca ſint, ſicco plerunq; nutrimento, neque copioſo eos detinẽtes. Sed de Velocitate hucuſque, quam qui aſſecutus fuerit, is & dexteritatis, & agilitatis compos factus erit. ſub velocitate nanque includuntur hæc. Reliquum eſt de Pulchritudine vt agamus, tum virorum, tum fœminarum, & id quidem vtrunque pro remouẽdo ab homine animi affectu ex pulchritudinis inuidia. Quomodo enim affectus animi innaſcatur ex pulchritudinis inuidia inter homines, ſeu mares, nunc dicemus: quopacto etiã ex inuidia pulchritudinis fœminarũ inter fœminas fiat animi affectus in homine, deinceps id explicabimus. Naſcitur quidem animi affectus ex pulchritudine inter mares hoc pacto, Natura nanque ita comparatum eſt, vt eos etiam quos

nunquã nouimus,ſtatim diligamus, ſi corpore inſignes fuerint:contrà ſtatim cõtemptui nobis aliquo pacto ſint,qui turpi corpore ſunt,aut non ita eleganti:vſque adeò, vt ſi ambo virtute aliqua animi præditi ſint longè magis eam ęſtimemus in formoſo,quàm in deformi,quod & Maro vidit, dum in Heroicis ita cecinit:

Gratior et pulchro ueniens in corpore uirtus.

Atque id quidem accidit ſæpenumero, licet longo interuallo maior ſit virtus in eo, qui non ita ſpecioſus eſt, quàm qui pulchritudine reſplendet. Hinc Euripidis illud manauit πρῶτον εἶδος ἄξιον τυραννίδος. Contingit hoc tamen apud plures quidem,ſed non apud ſapientiores. Vulgus enim & imperita multitudo videtur ex cortice,neceſſariò de nucleo quoque ſententiam ferre, & quale corpus videt,talem etiam animum iudicare. Cùm itaque duo hi æmuli ſunt aliqua in re,quæcunque tandem ea ſit,ſeu animi,ſeu rerum externarum,& qui ſapientum iudicio dignior eſt ob animi pulchritudinem, qua nulla maior eſt,cogitur illi cedere, qui præſtantiori corpore eſt ob vulgi fauorem exteriorem tantùm cutem admirantis, neque penitus potentis ex imbecillitate intellectus penetrare,quis non videt apertos inuidię aculeos,dum deprimitur qui extollendus erat,dum extollitur qui deprimendus?

dus? Naſcitur pariter inter fœminas eadẽ ratione,qua & inter mares inuidia ex pulchritudine: inuidet enim quæ, vel non tot habet pulchritudinis gradus, vel deformis quoque eſt,illi quæ formoſa eſt, & plures obtinet formæ gradus. quare multis nominibus affectus animi in homine ex hac fœminarũ inter ſe ipſas inuidia oboritur, quoniam contemptæ vel in templis, dum non circumſpectantur,vel in via, dum non honorantur,vel in ſpeculis, dum nemo oculos eò attollit, vel in nuptiarum celebratione,dum ſedent,ſemper,neque deducuntur ad choreas,rixas maritis (quibus omnes animi affectus leuiores ſunt) domi recitant: partim vt vociferando alijs ex cauſis, quas ipſæ multas comminiſcuntur,collectum aliunde virus in maritos euomant: partim etiam, quia cum ab alijs contemptæ ſunt, ſuſpicionem exinde habent maritis etiam ſe contemptui eſſe,quos ob id ipſum vlterius, fœminæ elegantioris forma teneri ſuſpicantur. His itaque cauſis ferendum eſt potius, quadamtenus maritis vt ſe colant vxores,cùm ex eo cultu pulchriores ipſæ ſi bijpſis viſæ,vel certè tales redditæ deſinãt inuidere,quàm ſi negent,quotidie pugnas habeant domeſticas,tam atroces.

DVPLEX porrò eſt corporis pulchritudo,altera à natura,altera ab arte. Du

plex inſuper ars eſt, quæ circa vtrunq; pulchritudinis genus verſatur: nẽpe κοσμητικὴ, καὶ κομμωτικὴ, id eſt Exotnaroria, & Comptoria. Exornatoria ipſa, quoniam quicquid ſecundum naturam eſt, id omne in corpore cuſtodit, circa naturalem pulchritudinẽ occupatur. Comptoriæ verò ſcopus eſt, vt artificioſam inducat. De exornatoria tractat Ars medica de induſtria: quare prauos & ſuperfluẽtes humani corporis humores aut euacuat, aut alterat, ne cutem impetendo, aut alopeciam pariant, aut lichenes, aut pſoram, aut leprã, & cætera eiuſmodi, quæ præter naturam ſunt, & indecoro ſunt aſpectu, quatuorque de hac libros conſcriptos à Critone Imperatorio Medico tradit Gal. De Comptoria agit quandoque ad regiarũ fœminarum, atque adeò ipſorum Regum imperium, quemadmodum fecerunt Aſclepiades, Heraclides Tarentinus, Soranus, & Archigenes, præter hos & Crito ipſe. In prędictis enim libris quædam etiam appoſuit, quæ ſpuriam pulchritudinem inducũt, ſed eorum apud nos monumenta non peruenerunt. Accedit ad hoc, quòd nec Galenus ad cuius manus peruenerant illorum ſcripta, mentionem ſpuriæ pulchritudinis facit. Quanquam enim vel maximè cognita habeam (inquit) ſmegmata corpori nitorẽ inducentia, verecundor tamen eiuſmodi ſcribe-

Gal. lib. 1. de Compoſitione per loca cap. 2.

ſcribere. Verùm tantæ nunc delitiæ fœminas occuparunt, vt nos in comptoria arte habeamus fortaſſe & plura, & elegantiora hoc tempore, quàm veteres.

Homo igitur vt ne alterius pulchritudinem inuideat, naturalem omniuo obtinebit, neque ab artificioſa quicquam ſibi aſciſcet: nõ minus enim bellè, quàm verè dixit Poeta ille in eo verſiculo:

Fine coli modico forma uirilis amat.

Fœminis autem plus concedendum in acquirenda artificioſa pulchritudine. Sed redeamus ad hominem. Inſtituẽdum ſanè illi eſt optimum victus regimen in ſex reb. quæ neceſſariæ corpori noſtro ſunt: quoniam ſi tale inſtituetur in illis regimen, inſignis faciei cutis, bonusque & fortis corporis habitus, neceſſe erit, vel nullo alio ſtudio adhibito, conſequatur.

Plus verò operæ adhibendum in fœminarum forma: ſunt enim formæ ſtudioſiores maribus fœminę. nam pręterquã quòd inuident ſibi corporum proceritatem, carnium ſpeciem, capillorum colorem, multitudinem, longitudinem, ſeptidentium lepiditatem, frequentiam, albedinem, veſtimẽtorum numerum, precium, concinnitatem beneuolentiam, gemmarum & auri apparatum, manuum inſignitatem, Veneremq; in ſermone, riſu, inceſſu (quibus omnibus

Ars comptoria ſubſidio eſt) nonnulla etiã inuident ad quæ comptoriæ artis vires minimè extenduntur: inter quæ vultus figura excellens eſt, quod quidem naturæ donum eſſe nemo eſt qui neſciat. Intelligo enim per vultus figuram, oculorum, ſupercıliorum, naſi, genarum, oris, menti, auricularum, & aliarum huiuſmodi particularum ſtructuram, efformationemque illam, quã ab vtero materno gerunt, quæ naſcuntur fœminæ. Si qua igitur cum his vultus particulis turpibus, vel rudioribus nataeſt, aut nullo modo reparari illæ formoſiores partes poſſunt, aut ſi quis eſt, alius eſt quã per comptoriam artem modus. Quod igitur ſpectat ad corporis proceritatem, conſiſtit ea in longitudine ſolidarum partium, quæ verè ſolidæ, ac primæ, atque vniuerſi corporis velut baſis, ac firmamentum exiſtũt, ex maris enim & fœminæ genitura fiunt, longitudo verò, vbi eò in adultis proceſsit, quò procedere poteſt, nullomodo vlterius protenditur, imò ab incrementi ſtatu ſemper exiccatur corpus, exiccationiſque ratione, ex ipſo ſemine genitæ ſolidæ partes, contrahuntur potius, verè inquam ſolidæ ac primæ. Sunt verò & craſſamento ſolidæ partes, illæ ſcilicet quæ contra humores diſtinguuntur, cuiuſmodi caro, & membra, huiuſmodi augeri etiam per longitudinem nihil

nihil vetat, quòd non ex ſemine, ſed ex ſanguine, qui ex alimentis quotidie reparetur fiant, & ſua capiant incrementa. Hæc cùm ita ſe habeant, certè deſperāda eſt omnino in adultis fœminis corporis maior, quàm adeſt per longam dimenſionem magnitudo naturæ ratione: Artis verò comptoriæ beneficio ſecus. Ego verò planè erubeſco, vt ingenuè dicam, hæc ſcribere, ſicut & de aquis, fucíſue, ex quib. ſpecioſa caro fit, tractare. Pariter etiam de cæteris quæ ad comptoriam artem pertinent, præcipuè verò, quòd iam ad ſummū perueniſſe apud fœminas huiuſcemodi artis ingenia omnia mihi perſuadeo.

Quòd ſi etiam balba vox fuerit, modò parum ab optimè articulata receſſerit, tantùm abeſt vt diſpliceat, vt potius blandior futura ſit. Talem ergo arbitror in Alcibiade fuiſſe, quoniam ei in dicēdo balbutiem extitiſſe, quæ voci illius ſplendorem, & ſermoni gratiam afferre videbatur, Euripides apud Cœlium ſcribit. At ſi multum, haud dubiè diſplicebunt etiam ſibi, quicunque hoc uicio laborabunt, nedum alijs: quoniā riſus cauſam cient his qui audiunt, ex quo indignatio balbutientibus oritur, moleſtè ſe videri ferentibus. Naſcitur & inuidia eodem tempore aduerſus eos, qui perfectū vocis vſum obtinent. Curanda itaque vlti-

mo loco & Balbuties, vt ceſſet, & hoc inuidiæ genus inter mares & fœminas: demum huic libro receptui canendum.

Gal. 6. Aphor. 32

Græci ſanè ψελλίζεσθαι, id eſt balbutire vocant, dialectu, id eſt, prolationis, ſeu linguæ vitium, cùm nequit lingua exquiſitè eas dearticulare voces, quæ per t & r proferũtur, quales ſunt hæ, traulosis, trocos, tripheros, & quæcunque aliæ tales. Hæ ſiquidem omnes exigunt linguam ſe ampliantem, ac prioribus dentibus innitentem. Quando igitur imbecilla in quibuſdam lingua reperitur, minus firmatur, & ſonum t & r nequit dearticulare, ſed ad t & l labitur, minus autem firmatur lingua, quoniam eius muſculi nequeunt firmiter ſtabiliri, quod eis poteſt accidere vel propter ſuá, vel propter neruorum imbecillitatem, quos videlicet à cerebro ſuſcipit. huiuſcemodi verò imbecillitas fit ex nimia aut cerebri, aut linguæ, aut vtriuſque humiditate neruos relaxante: atque hæc eſt cauſa cur pueri balbuciant. Hinc oritur quandoque & ebriorum balbuties: nam ex multa vini humiditate perfunditur, ac degrauatur eorũ cerebrum ac lingua, ita vt relaxatis muſculis ac neruis, imbecillitas ad efformandam vocem dearticulatam contingat. Qui ergo balbi ſunt, cũ huiuſmodi ſint ex humiditatis plenitudine, exiccatione indigent: exiccatio por-

porrò & à natura fit,& ab arte comparatur ſed maiorem vim habet natura, quàm ars. A natura quidem, quoniam natiuus calor cum ſemper in motu ſit,abſumit humidum natiuũ paulatim, quod pro pabulo habet. Hinc fit,vt etiam ægritudines quædam ex nimia ortę humiditate,velut Epilepſia puerorum,ex ætatum commutatione deſinãt: in huiuſmodi nanque commutatione ætatum,corpus exiccatur. Ab arte verò comparatur exiccatio,per regimen in ſex rebus non naturalibus ſiccius adminiſtratũ. Aer nanque calidus & ſiccus eligendus, Quies vitanda, Motus, ſeu exercitatio multa, ac magna facienda, maximè verò lingua exercenda,aut declamationibus, aut vociferationibus in locis abditis. Neque enim Demoſthenes Atheniẽſis orator alio ingenio ad dearticulatam vocum prolationem deueniſſe fertur, quàm exercitationis beneficio.ſolebat enim,vt tradunt, ad loca edita magna cum feſtinatione conſcendere,cum eo ipſo tempore lapillum in ore geſtaret,ac voces ſimul reddere exerceretur,quas balbi nequeunt: quare in Forum cum poſtea deueniſſet, ita fuit omnibus admirationi, antè enim non poterat, ſi M. Tullio credimus,primam artis ſuæ literam ex balbutie proferre, vt palàm docuerit nihil eſſe tam difficile,quod exercitatione vinci nequeat. *Lib.1.de Oratore.*

Somnus mediocris eſt, multus enim nimis replet caput, cibus exiccans, calidus, incîdensque conuenit.

Sunt huiuſmodi quæ ſubſcribam omnia licet non ſingula: aliqua enim primario incîdunt, alia exiccant, nonnulla calefaciunt. Inter multa verò alia lentes numerantur, amygdalæ præcipuè amaræ, limones, citria, cotonea, & ſimilia, necnon & fercula aſſa, potiusquàm elixa, cum aromatibus & aceto parata, carnes ſicciores potius aliquantulum. Talia ſunt & embammata, quæ intinctus, vel ſapores Itali vocamus, ex petroſelino, ſatureia, ſaluia, lauri folijs teneriori bus cõtritis optimè, & cũ aceto liquatis, addito ſacchari pauxillo. Huc etiam maximè referuntur allia, cæpe, porrum, ſi non inciuilis ob acrem nimis odorem, eſſet iſtorum eſus: nihilominus veſperi in cœna ſumendum ex his aliquid conſuluerim: quoniam ex nocturna concoctione euaneſcit odor huiuſmodi ciborum. Cauenda ex aduerſo frigida & humida, inter quæ lactucam, piſces, lac, ex lacte confecta, niſi ſit caſeus ſalitus, qui ſi huiuſmodi eſt, admittendus erit ſicut & piſces ſaliti, relinquenda iurulenta, pinguia omnia fugienda. Vinum autem, & id quidem meracius exhibendum, quòd caliditatis ratione, qua præditum eſt, etiam exiccat, vſqueadeò, vt vigilias inducere idoneum

doneum ſit,præcipuè verò,ſi non ſolũ meracum, ſed etiam antiquum fuerit. Quod manifeſtè docet Galenus exemplo cuiuſdam pueri Pergameni,qui cum à grammatico balneum petente,domi relictus eſſet, vt rem familiarem ſeruaret, atque ea quæ ad victum eſſent neceſſaria interim præpararet, & vehementer ſiti cruciaretur,nec eſſet ei aquæ copia,ex vini antiqui potu, vigil omnino reliquo tempore manſit, & febre ſuperueniente perijt. *Lib. 2. de locis affectis, cap. ult.*

Ne quis verò hoc loco mihi obijciat, dictum paulò antè eſſe,Ebriorum balbutiem ex multa vini humiditate fieri,nunc autem exiccationem vino aſcribi, Galeni ſententiam audiat velim in expoſitione illius Aphoriſmi, Si inebriatus quiſpiam repentè inuocalis fiat. Ait enim de vino loquens, Subſtantiæ igitur copia neruis affert conuulſionem:rurſus autem qualitate,ſanat eã quam fecit affectionem,neruos calefaciẽs, & exiccans. In quibus verbis, ſi vſpiam alibi,apertè vini etiam nobilis & vinoſi (alioqui non inferret ebrietatem) vim duplicẽ demonſtrauit,humectandi ſcilicet dum cõuulſionem facit,atque exiccandi, dum iam factam remouet conuulſionem. Cum itaq; vini qualitas calida ſit & ſiccans, balbis exhibendum,vt dixi,vinum meracius,ſed nolim liberalius concedi,ne balbuties balbu- *Gal. ſuper Aph. 5. Sectionis 5.*

tiei addatur. ſatis enim eſt, vt paulatim fiat exiccatio ex modico vini vſu potentis. Sed nec vberiorem cibum afferri velim; ex copia enim cibi (pręterquàm attenuâtis) humiditas magis augeretur in balbis. Sunt & corporis neceſſariæ euacuationes, tum per venæ ſectionem, tum per pharmaca. Inſtituenda igitur ſanguinis miſsio ex communi vena, & ſingulis menſibus accipiēda bis ſunt aliqua medicamenta, quibus vniuerſum corpus euacuetur, provt magis minúſve oportuerit. Quare Ruffi pilulæ opportunæ ad hanc rem maximè, ſiue crocus, ſeu ammoniacum thymiama adiungâtur myrrhæ, atque aloe. Mithridatica confectio, ſcordion, Theriaca eòdem ſpectant; & cætera huiuſcemodi multa. Neque negligenda capitis ablutio, ſed exiccanda illius humiditas ſingulis quibuſque ſeptem diebus cum lixiuio, in quo decocta ſint aliqua calefacientia ſimul & exiccantia, provt ſunt Aſarum, ſena, betonica, maiorana, roſæ, capillus Veneris, adiecto etiam agarico, in panno lineo inuoluto, qui bene exprimatur.

Deueniendum etiam ad clyſteria, media inter acria & mollia, quæ ſuperfluitates humidas ab humido cerebro delapſas, atque in ventrem ſuſceptas, educant, modò ne alui
Sect. 6. Aphor. 32. profluuium adſit, quo quidem maximè capi balbi ſolent, ſi Hippocrati credimus, vt

credendum eſt. lingua en in admodum humida ex natura exiſtente in his, qui balbi ſunt, & vētriculum talem eſſe par eſt, vt qui alteram ſui tunicam communem habeat ad linguam, imbecillis autem ex humiditate ventriculi propria paſsio eſt diuturnum profluuium.

LIBER TERTIVS.

QVANVIS de illis animi affectibus quos Galenus fugiēdos iubet in ſecundo libro, neq;, vt opinor, negligenter, tractaueri mus, nondū tamen tetigimus id quod nullo pacto prætermittendum eſt. Id porrò eſt animi affectus quidam in ſanis, & ægris circa remediorum vſum, quæ illis vel præſeruandi, vel curandi cauſa exhibentur à medico: & tria ſunt, Diæta, pharmacum, phlebotomia. (Diætam ex vulgo nunc appello victum in cibo & potu tenuem tantùm, nō etiam illum, qui in omnibus conſtat, quæ quouis modo fiūt in humanis corporibus, provt illam capit Galenus aliquando: Pharmacum omne illud quod purgandi cauſa propinatur: Phlebotomiam ſanguinis miſſionem per venæ cubiti ſectionem.) Nullus enim vel ſanus, vel æger non aliquo ex his affectibus; nēpe aut ira, aut triſtitia, aut

Lib. 3. Epidem. Com. 3. Apho. 9.

metu corripitur, dum ſibi vel capiendum pharmacum proponitur (maximè verò cũ iam inſtat potádi, aut deglutiendi tẽpus.) Incuſant enim aliqui aſtra, quæ ad tantum eos infortunium impulerint, vt ea ſibi toleranda ſint, quibus mors ipſa leuior ſit. Non nulli ſuam in antè acta vita intemperantiá, imprudentiam, ac temeritatem arguunt, quòd multos & prauos humores coaceruarint, quòd non eò ſe peruenturos præuiderint. Sunt & qui medicorum ſeueritatem, atque crudelitatem arguant, tanquam lenius hi poſſent, ſi velint, vel præſentes, vel futuros morbos expellere, q̃ vel per pharmacum, vel per diætam, vel per phlebotomiam, quæ tamen imperatorio quodam, at que adeò tyrannico modo, ſibi inſtitui con queruntur, vt niſi æquo animo ea perferas, actum omnino de vita habeas. Ex quo poſtea animi affectu, tumultúue fit, vt corporis humores maxima exagitatione circunuoluantur, ſummaque ebullitione conflictentur, quæ res tam clara eſt, vt nemo illá vel non in ſe aliquando expertus ſit, vel nõ in alio ſæpe viderit. Quamobrem vt ne nõ plenè alicui videamur de his animi affectibus egiſſe, laborandum nobis nunc in extrema hac parte ſupereſt, vt in his, quibus neceſſariò medicinalibus remedijs, quæ dicta ſunt, vtendum eſt, iræ, triſtitiæ, metuſque

que cohercendorum rationem tradamus.

CAPVT II.

De Fontibus, ex quibus ratio compeſcendi prædictos animi affectus ſumitur.

RAtio verò ſedandorũ animi affectuũ, nempe iræ, triſtitiæ, metus, homini contingentium in vſu remediorum, quæ pro præſeruatione, curationeque adhibentur, à multis fontibus ſumitur: præcipuè tamen à neceſsitate, ab vtilitate, à maiori, ab exemplo, à natura, & commoditate remediorum, à modo vtẽdi remedijs, à medici perſona, à perſona eius qui remedia ſumere debet, ab auctoritate ſcriptorum. Nemo enim tam inhumanus, ne dicam à remedijs abhorrens eſſe poteſt, quẽ non mulceas & adducas ad agendum quicquid velis, modò præſentem aut imminentem iſtorum neceſsitatem doceas, vtilitatem conſecuturam, à maiori arguens, à cæterorum exemplo, à remediorum bonitate, & cõmoditate, à facili vtendi modo, à perita, & miti medici perſona, à perſona eius cui remedia offeruntur, qui & magnanimus & continẽs eſſe cõſueuerit, ab auctoritate ita ſuadentiũ ſcriptorum. Quod vt pręſtari poſsit, vbi ſeſe opportunitas obtulerit, ſingillatim de his ex ordine per capita agendum, & ſimul terminandus de ſedandis animi affectibus tractatus.

CAPVT III.

De Neceſsitate remediorum medicinalium.

NEceſsitas quidem ipſa remediorum multifariam aduenit, contingitque: vel enim ratione humani corporis ſuapte natura imbecillis, ægrotabilisq;: vel ratione materiæ, quæ aut putreſcat, aut putrida iam ſit: vel ratione morbi, qui omnino naturæ noſtræ inimicus eſt: vel ratione partis affectæ, quæ admodũ laboret, & nobilis exiſtat, aut officioſa: vel ratione occaſionis, quæ cum ſit præceps, dimittenda nõ eſt, ut aliàs expectetur. Humani nanque corporis, ſicut & cæterorum animaliũ conſtitutio, ex quatuor elementis conſtat, quæ cùm à proprijs locis diſtent, & cõmiſta ſint: natura tamen inter ſe differentia pugnant in humano corpore, frigida calidis, humida ſiccis: ex qua pugna imbecillius ipſum paulatim redditur, & cum reſiſtétiæ vi quá amiſit, careat, multis fit ærumnis obnoxiũ. Quare vbi contingit, vt pro illius inſtauratione alimenta ingerantur, & auidiuſculè aliquãdo cruditates ex incõcoctionib. fiát & vaſorum repletiones: vbi verò repleta ſupra modum vaſa ſunt, conſequitur periculum, vt ne ſuffocatio fiat, vel vt venæ diſrumpantur, vel vt natiuus calor ſtranguletur, ex-

tur, extinguatúrue. Nam cùm ſemper natura concoctionem, alimenti diſtributionem, ſanguinis generationem, adiectionē, agglutinationem operetur, atque aſsimilationem, quando nihil adijci iam corporis ſolidis partibus poteſt, neque venæ ampli us habent conceptaculum, in quod alimen tum diſtributum recipiatur, tunc ſanè neceſſariò vel alicuius vaſis diſruptio, vel repentina mors timenda. Quòd ſi etiam ad tantum diſcrimen minimè deueniatur, ſaltem ægritudine corripi huiuſmodi corpora neceſſe eſt. Sicut enim ſanitate fruitur corpus cum quatuor humores ex quibus conſtat, mediocriter tum viribus, tum multitudine mutuò inter ſeſe habent: ita ægrotat cum illorum quodpiam aut minus, aut amplius fuerit. Quantum porrò humorum copia hodie in humanis corporibus excedat, inde & apertiſsimè & facillimè colligi poteſt. Nam ſi Galeni temporibus qui ſub Antonino Imperatore floruit, vſque adeò aucta erant edulia, vt nihil eis addi poſſe videretur, cùm poſtea parentum noſtrorum ætas auis deterior, nos nequiores tulerit, quid de teterrimo hoc ſeculo dicendum? Ætate quidem Hippocratis ieiunium facilè ferebant, vtpote, quia illi aſſueti erant: nā multi tunc temporis ſemel tantùm in die comedebāt, vnde rariſsima apud antiquos

Hipp. in li. de Natura humana.

Gal. 6. Aphor. 28.

reperitur mentio prandij facta. Noſtra verò tempeſtate qui ſobriè & parcè viuunt, illi ſaltem bis,& ferè ad ſaturitatē comedūt, pueri ſaltem quater,adoleſcentes multi ter nonnulli etiam ſæpius: quamobrem colligātur cruditates in huiuſmodi corporibus neceſſe eſt,quas præſeferunt inflatio præcordiorum, oris ventriculi vaſtior moles, quàm pro naturæ modo:adhęc & color ad albidiorem, aquoſioremque mutatus.

Quòd ſi quis fortaſſe diceret, inueniri nonnullos etiam temperatos, proinde nullam his inſtare remediorum neceſsitatem, ſciant velim,neque hos ſubterfugere remedia poſſe:nam quanuis habita temperātiæ ipſorum ratione,praui humores non congeſti ſint in eorum corporibus, tamen ex ſanguinis menſtrui malignitate,ex quo embryo in vtero matris nutritur per vmbilicū humores ſeminariū corruptionis retinent. hinc illæ variolæ,hinc morbilli illi poſt ortum,quos affectus nemo fugit. In expulſione verò talium humorum, quibus accedūt & alij aggregati ex malo regimine in ſex rebus non naturalibus,tametſi in his qui temperati dicuntur minus, dum natura laborat,excitantur plerunque febres,& deliria, quæ remedia medicinalia poſtulant,modò plura,modò pauciora,modò maiora, modò minora.His ita ſe habentibus,quis non videt

Auic.lib.4. Canonis capite de Variolis.

videt oſtenſam iam eſſe medicinalium remediorum neceſsitatem? Corpore nanq; humano imbecillo, & prauis humoribus & ante ortum & poſt ortum imbuto exiſtente, materiæ efferueſcunt multæ, quæ provt diuerſas corporis partes obſidēt, diuerſos etiam morbos gignunt: qui, dum adeſt occaſio, oppugnandi ſunt, maximè verò vbi pars aliqua nobilis & officioſa vexatur: atque hoc quidem vſque adeò, vt potius Hippocratem omnino ſequamur, lotium & venarum pulſationem animaduertenda præcipientem, quàm Ptolemæum aſtra, & eorum configurationem inſpicienda iubentem. Oppugnatio verò per euacuationem inſtituenda. Quoniam quæcunque ægritudines à repletione fiunt, euacuatione, vt inquit Hippocr. ſanantur. Euacuatio demũ ipſa, vel per diætam, vel per pharmacũ, vel per phlebotomiam fit. Adiuuant autem neceſsitatis oſtenſionem, allata de ægritudine, vel ſuffocatione aliquorum ob humorũ plenitudinem exempla, aut de effractione vaſorum vinaciorum ob vini recentis ebullitionem, violentamque extenſionem. Nec intempeſtiuum fuerit illud quod de fluminum excreſcentia afferre potuimus, quòd videamus ob aquæ exuberantiam, diſruptis vtrinque riparum aggeribus hac atq; illac perfluere, atque effundi. Hęc hactenus 2. Aph. 22.

de neceſsitate remediorum. nemo enim eſt qui non his, aut ſimilibus ita acquieſcat, vt libenter medici voluntati ſeſe ſubijciat.

CAPVT IIII.

De Vtilitate remediorum medicinalium.

NAtura in primis ita comparatum eſt, vt animalia quæque ſibi quantũ fieri poteſt, ſemper conſulant, tum ſalutem ſuam tuendo, tum etiam mortem pernitiemque deuitando. Accedit quoque naturali huic deſiderio etiam cognitio, quæ cæteris animantibus aut negata eſt, aut obſcurius tradita, homini verò vni exactius conceſſa: Qua duce fit, vt non ſolùm is naturale deſiderium ſequatur, ſed etiam quáobrem ita agere debeat, cognoſcat. Duplex nanque cauſa eſt, quę hominem ad ſui conſeruationem impellit: altera vitæ eſt amor, altera dignitatis ſubiecti ſui cuſtodia. Vitæ quidem amor, quòd longè melius eſt eſſe, quàm non eſſe. Cuſtodia verò conſeruandæ ſubiecti ſui dignitatis, quòd non ſolùm cæteris animãtibus homo præſtat, ſed & diuina parte præditum eſt, vt nos à principio libri primi meminimus. Cuſtodia inſuper conſeruandæ ſubiecti dignitatis eſt propter illam partem, quam cum Dijs communem habet. Vitæ verò amor propter illam, qua cum eo bruta communicant. Quę quia

Ariſt. lib. 1 de gen. et corr. t. 59.

quia ſuapte natura corruptibilis eſt,cauere quin in ægritudines incidat, nequit, quæ fiunt auctis humoribus corporis, & mutato proprio ipſorũ temperaméto, ex quo fit, vt tantũ abſit, vt homo interim queat, ea ad quæ natus eſt, exercere vitę munera, vti potius ad interitum tendat, niſi medicæ artis præſidio reſtituatur humorum, ſi fieri poteſt,temperamentum,aut ſuperfluitates putridæ & copioſæ euacuentur. Quamobrem cótingit,vt homo ipſe in miſerabilem vitæ conditionem detrudatur. Dum enim in lecto iacet corpore ægritudine confecto aliorũ imperio, à quibus regitur,ſubiectus, quæ cupit abnegari ſibi videt: quę fugit; & abhorret,exhiberi certatim. non alimentorũ amans eſt,non colloquiorum, non lætitiæ, non amicorum,omnia contemptum, omnia odium pariunt. Abſente enim ſanitate,ſuccurrunt ſolatia præterita, vrbana & ruſtica,quæ tormenti loco ſunt omnia. Vbi verò medicæ artis præſidio,ac remedijs ægritudo expellitur, tunc neminem cui ſubijciatur in vitæ actione habet, tenet quæ cupit,alimenta quæ antè ſpernebat, amat: amicorum colloquia quæ paulò antè audire non poterat,deſiderat,lætatur,nihil contemptui,nihil odio habet,in foro eſt, ruſticatur, pro Republica laborat, pro amicis, pro familia. Hæc ergo vtilitas eſt, vita inq.

& vitæ commoda, medicinalium remediorum: quæ ſi his explicabitur, qui ea reſpuũt haud difficile hercle manus dabunt, poſthabitaque, ſi qua iam accidit, animi perturbatione, ſeſe ad remediorum vſum accingent.

CAPVT V.

A maiori ſumptum, quo quis moueri debet ad uſum remediorum medicinalium.

MAgnam vim habet, & habere debet à maiori quoque ſumptum argumentum, ad perſuadendos humanos animos, vt remedia medicinalia, quando res poſtulat, amplectantur. Quod quidem tripliciter vſurpamus. Primo modo ſi oſtenderimus maximam de cæteris rebus, quæ in bonis noſtris collocantur, nobis eſſe curam: dehinc turpe eſſe, ſi non de nobis ſoliciti magis ſimus, quàm de illis. Altero modo, ſi cætera omnia, quarum de conſeruatione laboremus, viliſsima eſſe ratione ad humani corporis dignitatem habita: ergo plus diligentiæ adhibendum in conſeruatione rei precioſæ, quàm vilis. Tertio, ſi docuerimus bruta animalia, cum opus ſit, remedia petere tum præſeruantia, tum curantia, quanuis ſolo naturali inſtinctu regãtur: ergo multo magis hoc ab homine, qui intellectu fruatur, agendum.

Oſten-

Oſtendendũ porrò eſt in primis id, quod pertinet ad noſtram de cæteris rebus curã, nobis ferè neglectis hoc pacto. Vbi nanq; enumerauerimus ea (quæ reducuntur ad ædificia, agros, ſeruos, greges, veſtimenta, nummos) poſtea ex ordine declarabimus curam, quam de iſtis habemus. Sed videamus, quæſo, in ædificijs primùm, quæ incolimus, quæ, quot, & quanta agamus, vt ea vel ornemus, vel mutemus, vel augeamus, vel conſeruemus, vel reſarciamus. Quis enim neſcit quotidie vocari domorũ architectos, & artifices, qui ſi parietes veſtiẽdos hoc vel illo pacto monent, ſtatim, veluti imperij loco ea verba fuerint, ornamenta venamur? ſi trabes auratæ, vt ſint, ſuadent, repentè id fit. ſi lares & fores & feneſtras marmoreas decere aiunt, primo quoque tempore id inſtituitur. ſi parietem obliquum, craſsiuſculum, tenuiuſculum, non ſatis, aut nimis altum dicunt, nulla interiacet in mutatione mora. ſi anguſtum locum ampliari debere, vicino ſtatim numeratur pecunia, empta iam contiguæ illius domus parte, quá noſtræ coniungere ardemus. Si offendi partẽ aliquá à pluuijs, ventis, ſole, nec tutam à furibus, nec liberam ab inſpectione vicinorum, confeſtim calx, lateres, aſſeres, ferrei vectes aptantur. Si ruinam minari aſfirment, hoc vel illud latus, dicto citius ful-

chro aliquo ſuſtinemus loca illa, vel deiecta parte affecta nouam inducimus. Sed ne his diutiùs immorer, illud tantùm addam, quòd pauimenta, gradus, tecta, anguli, puluere, aranearum teliculis obtecta, cæteriſque ſordibus, ſingulis diebus diligentiſsimè verruntur, mundanturque, latrinæ lotio & ſtercore repletę, exactè deterguntur. Quid dicam de Agris? Nonne illi aratro frequenter verſantur, ſemente implentur, muro, aut ſepe aliquo obducuntur, flumine humectatur, ab auibus & cæteris animalibus brutis, furibusque defenduntur, noxijs herbis, radicibus, lapidibus, vermibus expurgantur? Venio nunc ad ſeruos, quorum ſi quis vel ob nimios perpeſſos labores, vel aliqua alia ex cauſa nequeat ſolitas obire functiones, quàmprimum aliquo ex tribus medicinalibus remedio cōmittitur, vt propere conualeſcens ad domini famulatum redeat. Idem ſanè in gregibus ſtudium collocatur. Si enim equus (vt in eo breuitatis cauſa ſermonem exerceamus) qui quia inſignis eſt, nobis charus exiſtat, & fortè ægrotet, medendis brutis peritos homines accerſimus, donamus, equum vt curent: in qua curatione quicquid imperant, id omne exequimur: ſi verò ſanus ſit, quoties detergitur à puluere, & alijs immundicijs? De Veſtimentis, nonne illud mirum eſt, vt vel

vel ſi minima labe affecta ſint, emaculari anxiè admodum omni remedio adhibito, ea procuremus: nihilique amplius eſſe putemus, quanuis precioſiſsima ſint, niſi labe, quam imbiberint, ſublata. Patet verò & augendorum, tutandorumque nummorum anxietas incredibilis. augendi nanque cupiditas die noctuque nos in itinere detinet nec ſoles, nec imbres, nec loca inhoſpita & maletuta vereri facit. Tutandi diligentia, vel intra parietes, vel defoſſæ humi tegimus, vel arca ferrea condimus, mille clauibus illam obſerantes, propè cubili collocãtes. neq; id ſatis eſt, niſi ſemper domi ſimus cuſtodiæ cauſa, noctuque interruptos habeamus ſomnos ob eorum imaginationẽ. De rubigine contrahenda nullum periculum, quod ſæpe perluſtremus oculis, quopacto ſe intus habeant omnia. Omitto diętam factam ſæpenumero, dum occupamur in numerandis nummis clauſi in thalamo, nihil aliud cogitantes. Hæc ſunt quæ pertinent ad noſtram de cæteris rebus curam. Succedit alterum de nobilitate hominis, deque rerum omnium aliarum vilitate. Nobilitas hominis quanta, & qualis ſit, iá multoties dictum eſt. Rerum verò vilitas aliarum oſtenditur, non ſolùm ex earum natura, ſed etiam ex fine. Si naturam ſpectemus ea profectò & inanimata & non viuens eſt,

velut ædificia, agri, veſtiméta, nummi, quæ animatæ & viuenti naturæ longè inferior, vt Ariſtoteles tradit: bruta verò, velut equi boues, & huiuſmodi alia quanuis animata ſunt, tamen ſenſitiua, quam poſsident, anima maximè ab intellectiua, quæ in homine eſt, ſuperatur. at ſerui, quanuis animantes ſint, & intellectiua anima prędíti, tamen ex fine, vtpote quia diriguntur ad dominorũ ſeruitia, & famulatũ viliores dominis ſunt. Pariter quoque ſi finem conſiderauerimus quis neſcit omnia ad hominis commoda, directa, & producta? Nam domus & veſtimenta ab imbre, grandine, glacie, niue, ventis, frigore, ſole, & cæteris huiuſmodi defendit iniurijs. Agri, nummique, & quàmplurima animalia alendo noſtro corpori vtilia ſunt: equi, mulique à defatigationibus idipſum præſeruant, & oblectamento ſunt. Serui quanuis non à natura, à fortuna tamen aduerſa dominorum famulatui deſtinati ſunt. Tertio loco quæ bruta agãt ſui præſeruandi, curandique cauſa oſtendemus. Canes nanque vomitu, qui euacuationis ſpecies eſt, emittunt quæ ingeſſerint, ferre nequeuntes. Leo ſatur admodum, per triduum ſine vllo cibo, aut certè per biduum fert inediam. Mirabile eſt, & quod de muſtella traditur: ea nanque, dum pugnã cum vipera exercet, crebro viſa eſt ad polemoniam

Lib. 2 de generat. animalium in principio.

Ariſt. lib. 8 de nat. animaliũ ca. 5

ñiam herbam guſtandam, velut ad quoddã veneni alexipharmacum, confugere. Hæc de præſeruatione. Dum verò ægrotant huiuſmodi animalia bruta, ſuæ curationi intẽta maximè eſſe conſpiciuntur. Quamobrẽ leo ægrotus ſimiam venatur, qua deuorata conualeſcit. aliquando etiam ex potu canini ſanguinis ſanitatẽ recuperat. Cerui demorſi vel à phalangio, vel à quouis generis eiuſdem, cancros edunt. Ciconiæ, cæteræque aues, cum vulnus per pugnam accepe rint, cunilam herbam plagæ apponunt. Capreę quoq; in Creta vulneratę, paſtu dictami ſagittas venatorum excutiũt, vt Dioſcorides ſcriptũ reliquit. Poſtremò his tribus hoc aut ſimili modo demonſtratis, cura, inquam, quam in cæteris rebus adhibemus, Vilitate earundem præ dignitate hominis, necnon & ſtudio brutorum animalium in remediorum vſu, turpe eſſe admodum dicemus, teſtabimur, exclamabimus, vt nos ipſos vel ob ignauiam, vel ob pertinaciam in rè tanta negligamus, quanta ſanitas eſt vel conſeruanda ſi adeſt, vel reſtituẽda ſi amiſſa eſt. Ergo ædificia puluere, aranearum teliculis, lotio, ſtercore mundabũtur. Agri noxijs herbis, lapidibus, vermib. radicibus expurgabuntur. Equi ſordibus quotidie, & alijs immundicijs detergẽtur: boues, oues, & cætera talia curabuntur: v-

Lib. 3. ca. 31

ea contemptui fuerunt, aut tardè admiſſa, cùm iam occaſio medendi præterierit. Sed in primis requiritur exemplorum fides, vt ne à nobis confingi ea, quæ produxerimus putent hi, quos perſuadere volumus. Cæterùm fides hæc ipſa conciliabitur cùm de vtilitate loquemur, tum ab euentu felici in huiuſmodi re familiarium & noſtrorum, & eorum quos exhortamur, qui adhuc ſuperſtites ſint: tum ab aliorum ſucceſſu optimo qui in vrbe noſtra ſint. Quòd ſi longè petēda exempla fuerint, ad ea recurremus quæ tradita ab antiquis ſcriptoribus ſunt. Idem dicendum vbi de detrimento ſermo habebitur. Vtemur ergo hac, aut ſimili dicendi formula, vbi de fauſto remediorū vſu dicemus. Nempe Socratem, ſiue alium quenpiam, tali aliàs affectu laborantem, ilico ad nos miſiſſe, ſeque in noſtra poteſtate conſtituiſſe, vt quicquid nobis videretur, ageremus. Quare nos confirmato prius illius animo, omnia opportunè remedia, quæ neceſſaria erant adhibuiſſe, & tutò & properè nullaque aut pauca admodum cum moleſtia, ſanitatem illi priſtinam reſtituiſſe. Vbi verò malum euentum ob contemptum remediorum explicabimus, deplorabimus immaturam alterius mortem, qui tamen viuere per multos annos adhuc potuiſſet, niſi remedia ſpreuiſſet. Dicemus & illud, mi-

ſerum,quiſquis ille fuerit,dum ad vitę mor tisque confiniũ redactus eſſet,elatoex imo corde ſuſpirio ſupplici voce,ſed fruſtra tũc tandem remedia petijſſe,& paulò poſt animam exhalaſſe.Exemplis poſtea antiquorum inſiſtentes , afferemus ea quæ tradita ſunt ab his,qui probatiores habentur,inter quos meminiſſe de Hipp.præcipuè & Galeno debebimus. Sexcenta verò ſunt exempla in lib. Epid. apud Hipp.& in lib. Meth. medendi apud Gal. eorum qui ſe curæ medicinali cõmiſerunt , & ſanati ſunt, quod ſi nõ omnes cõualuerunt, tamẽ citius adhuc periſſet,ſi minus medici opera vſi forẽt.Adducam tantùm vnum ex Galeno exemplũ, oſtendendi ſcilicet mali euentus gratia,aut ſaltem periculi in cõtemptu remediorum.

Lib. meth. med.14 ca. 18. Narrat enim Romæ mulieri cuidam illuſtri quæ herpetẽ in malleolo haberet, & quiduis potius ſe paſſuram diceret , quàm medicamento quod bilem traheret purgari parata eſſet,exulceratioñẽ vſque ad genu perueniſſe,demum ad bubonesvſque aſcendiſſe,non ſine magno periculo.quò quum redacta eſſet,tandem ſerum ſe lactis ſumpturam,vi mali coacta,annuit:quo ſumpto, ſimul cum minimo ſcammonij clanculum à Galeno immiſsi, ſanitati reſtituta eſt : quæ ſi antea paruiſſet,nec tantum affectum paſſa eſſet ; neque tantum diſcrimen adijſſet.

Ve-

Verùm nos remediorum natura,& cômoditas ad ſe vocat: proſequamur igitur de his ſermonem.

CAPVT VII.

De Remediorum natura, et commoditate.

TAntum eſt ſanitatis precium, tantaq; dignitas, vt vel ſi ea cum iactura aliqua contingeret, nempe ex malefica natura medicamenti, nemo tamen deſiſtere ab eorum vſu, quando res poſtulat, deberet. Quid enim intereſt quomodo ſanitatẽ qua nihil charius recuperemus, modò recuperemus? Antiqui illi ſanitatis ſtudioſiſsimi ob maleficam medicamenti vim deterriti, nunquam ſunt ab eorum vſu, quòd noſſent omnino maius emolumentum quàm detrimentum ſubſequi ſolitum, licet non ignorarent, nullum eſſe medicamentum eorum, quod non aliqua ex parte nocuum eſſet, ſicut ex correctione & repreſsione ipſorum medicamentorũ conijcere poſſumus. Quare ſcammonio, elleboro, peplioque & colochyntide vtebãtur: neque in robuſtioribus duntaxat, aut in diuturnis morbis, & fortibus, ſed in omnibus quod nondum apud eos cognita medicamenta mitia eſsẽt, & benedicta. ſic enim vocant ea, quorum actio nullam corpori noxam imprimit. hæc enim poſteris innotuerunt, & noſtro etiam

Meſues libr. 2. de medi. purg. in principio.

tempore in vſu ſunt, Dei Opt. Maximi clementia, ceu myrobalani, ſiliqua Ægyptia (caſsiam fiſtularem dicunt) ſena, tamarindi, ſyrupus roſatus ſolutiuus, ſuccus roſarum, manna, rhabarbarum. Quapropter tali nunc exiſtente medicamentorum natura apud nos, quis eſt tam vitæ ſuæ aduerſarius, atque adeò hoſtis qui ea detrectet? Nã ſi veteres vehementia illa vſurpantes ſanitatem adipiſcebantur, quæ tamen cruentę par erat militum victoriæ, quid quæſo verendum nobis ea ſumere medicamenta, quæ tota benigna ſunt, nulla parte noxia, omni tempore tuta, omni ætati ſalubria, etiam pueris, etiam prægnantibus? Accedit ad hoc & commoditas habẽdi hæc ipſa medicamenta, tum quia non ſunt nobis hæc è littoribus Indicis petẽda. ſemper enim adſunt ad noſtras regiones comportata, tum quia hac noſtra tempeſtate non tanto ſunt in precio quãto ſuperioribus ætatibus fuerunt. De Diætæ natura nihil eſt quod dicam: nam ipſa inſtituitur ex alimentis boni ſucci, facilis digeſtionis, paucorũ excrementorum. Phlebotomiæ ſimiliter ea natura eſt, vt opportunè adminiſtrata (de hac enim loquimur, hanc inſtituimus) ſemper proſit aut non obſit. Quoniam verò de optimis noſtri temporis remedijs dictum eſt hoc capite, in ſequenti de optima illorũ adminiſtratione agamus. De Ad-

CAPVT VIII.

De Adminiſtratione remediorum medicinalium.

ADeò affici nonnullos quandoque à medicamentis comperimus, vt corporis aliquã particulam potius prę- cidi ſibi ſuſtinere velint, quàm ea ſumant. Sanguinis etiam ex cubito miſsionem quidã adeò fugiunt, licet alios mittẽdi ſanguinis modos tolerẽt, vt quid vis pati poſsint citius, venæ cubiti ſectionem quàm ferant. Alij ita tenuẽ victum oderunt, velut picrocoli, vt in lipothymiam concidant. Nolim autem quempiam arbitrari me de modo vtẽdi remedijs medicinalibus loqui pro his qui huiuſmodi ſunt, fruſtra enim id tentarem, prętérquàm quòd in maius diſcrimen rem illorum adducerem. Sunt nanq; hi perinde ſe ad remedia habentes, ac quidã ex indiuiduali quadam, & innata proprietate ad cibos aliquos, vel liquores, vel odores, quos ita auerſantur, vt certãdum tibi cum ipſis ſit, ſi ea ipſa quæ fugiunt, horteris amplectanda. Pro alijs hoc molimur negocij, qui non adeò quidem, vt qui dicti ſunt, dicta remedia perhorreſcunt, tamen & ipſi ęgrè ferunt: omnes enim infenſam habemus remedijs medicinalibus naturam. Quare ineunda ratio eſt, quam facilè tribus his v-

Gal. in lib. de purgantium med. facult.

tamur,ſaltem cum curandi cauſa adhibere ea cogemur.

De Diæta. ¶ A leuioribus autem inchoantes,tradere in primis oportet,quomodo ita aliquem cum victu tenui detinere poſsimus,vt non eum moleſtè ferat. Fit hoc multis modis. Primùm quidem, ſi in minimas partes ſecuerimus alimenta,quòd ſecta maiorẽ ambitum occupantia quàm ſi integra ſint,plura videbuntur.dehinc ſi in vaſa plura diſtribuerimus quæ ſecta fuerint. fit enim & ſic deceptio quædam. Quod verò ad potum pertinet,quem oportet proportione cibis reſpondere,debet is in vas minus infundi, & poculum quoque quod ori admouendũ eſt breuius eſſe par fuerit. Præterea ſeorsũ ab alijs parata menſa prandere,ac cœnare his conſuluerim,qui tenui victu vtuntur:etenim minimè fieri poſſet, inſpecta aliorũ voracitate,quin & ipſi aliquando præſcriptos ſibi limites præterirent. Sed nec illud præter rẽ foret,vt adeſſet aliquis, alioqui gratus,qui eos inter comedendum verbis detineret,vt in reſpõdendo occupatos, temporis aliquid conterere faceret,ne ictu oculi (vt aiunt) abſumant quæ ſibi appoſita fuerint,& ob id pauca ſe ſumpſiſſe ſentiẽtes contriſtentur.Cùm verò iam abſumpta erunt omnia,officium iſtius fuerit, vt de alijs quàm quæ ad cibos pertinẽt,verba fiãt.

Quod

Quòd ſi qui male ſe pranſum eſſe ſenſerit, doleat, naturam paucis, minimiſque contentam eſſe dicet ille, & quia nihil tempore velocius ſtatim cœnę horam appropinquaturam, & ad dies ſibi paucos talem victum inſtitutum, neque amplius de hoc cogitandum. nihil enim fixa cogitatione deterius. Laudanda parſimonia, & quantum ad ſanitatem proſit, ex antiquorum victu, & veterum Romanorum temperātia dicendum. Romani ſiquidem quandiu temperatè vixerunt, quod ſexcentis annis illis contigit, cùm nondum luxuriabant, quòd res Romana nondum ad ſummum fortunarum faſtigium peruenerat, nullis medicis vſi ſunt. *Plin. lib. 29 cap. primo* Adducēda aliquorum exempla, qui diu vixerint ob rectam, parcamque viuendi in cibo & potu rationem. contrà citandum adagium, quo plures interfici crapula, quā gladio monemur. Quòd ſi de imbecillitate verebitur, ante oculos ei proponemus cauſá, cur victus talis ipſi ſit inſtitutus, ob cruditatem ſcilicet, id eſt ob crudorum humorum copiam, qui quòd pigri ſunt, atque ægrè mobiles ob craſsitudinem ac frigiditatem, obturari dicemus arctas vias corporis, impediri ſpiritus vitalis, atque animalis officia clauſis meatibus, per quos tranſeundum illis erat. Proinde tantum abeſſe de imbecilitate periculum, vt potius de ſyn-

cope ex plenitudine,& conſequẽter de ſuf-
1. Apho. 14 focatione dubitandum.Galenus enim tra-
dit in his qui pauco alimento indigent, ſi
multum & totum ſimul ingeratur, pericu-
lum eſſe ne calor natiuus extinguatur,ſicut
et ſi paruæ ſcintillæ ignis lignorum multi-
tudo ſuperaceruetur.Adhæc quàm mirabi
le ſit cõcoctionis opꝰ explicabimus,quàm-
ve impium cruditatibus tantum impedire
negocium docebimus. Cõcoctionis opus
nimirum celebrationem medicis vocari,
quaſi ſacrum officium,quam natura ad ani
malis nutritionem inſtituerit,& ob id ven-
triculum feciſſe velut promptuariũ quod-
dam omnium particularum commune, in
medio animali poſitum, quod alimentum
vniuerſum excipiens (ceu diuinum,nõ hu-
manum ſit opificium) primùm ſubiret in
cibarijs laborem,ſine quo hæc eſſent inuti
lia, in nullamque rem animali commoda,
vt tranſmitteret cibaria repurgata pro he-
patis,ac venarum nutritione. Quanuis au-
tem figuram illi natura rotundam,& oblon
gam, quare & capaciſsimam dedit, & cir-
cum poſuit hepar, quod quibuſdá λοβοῖς,id
eſt fibris tanquam digitis illum ad vnguẽ
circumplectens calefactione iuuaret ad cõ
coquendum id quod ingeſtum eſſet, præte
rea omentum,muſculos:tamen & illud ad
uertendum eſſe, quòd neruoſa ſubſtantia
con-

conſtantem illum fecit, quę cum frigida ſit & propterea imbecillis, nō eſſe admodum grauandum, vt qui eum replent, indigeſtū ſuper indigeſtum continuè ſuperaddentes dum metuunt, ne ventriculum ipſum obliuio amplius ſumendi alimenti capiat, ignari naturam illi non defuiſſe: quippe quæ ipſi, & maximè eius partibus, his quæ ad orificium pertinent ſenſum indigentiæ contulerit, ad cibum ſumendum, velut tuba quadam, animal excitantem. Senſum porrò iſtum non aduenire antequàm membra à venis, venæ ab hepate, hepar à meſaraicis, meſaraica ab inteſtinis, inteſtina à ventriculo, ventriculus deforis alimentum petat. Expectandum ergo ſenſum hunc, antequã cibus ingeratur nouus, atq; eo magis quod neque tunc etiam cum eo ipſo ſtimulante, non poteſt aliquando animal alimenta ſumere, vel quòd deſint, vel quòd alijs maximis ſit implicitum negocijs, quæ tranſmitti in aliud tempus nequeant, natura deeſt corpori ſuſtinendo: vt quæ reuocare ſoleat ab hepate nutrimenta, tum quæ ex venis, quæ à caua ueniũt, tum ex his, quæ per meſenterium, & omentum terminantur: ita vt non ſit de obitu ex fame ita facilè metuendum. Quo loco exempla ſunt afferenda eorum, qui longã famem tolerarunt, & narrãda quæ de vi odorum traduntur. inter quæ

præcipuum eſt illud de Democrito, quem nonum & centeſimum annum agentem, vitam triduo cum ſolo panis odore conſeruaſſe ferunt. Sed nec illud minus, quod tradunt Hiſtoriæ Aſtomonem, gentem propè fontem Gangis, ex ſolo odore viuere. Quæ res non abeſt à Pythagoreorum quorundã ſententia, qui nutriri quædam animalia odoribus, teſte Ariſtotele, crediderunt. At ſi cum Hippocrate & Galeno ſentiamus, non vtique ita facilè dixerimus, vera nutritione ſingulas corporis particulas ab odoribus nutriri, ſed ſpiritus ipſos duntaxat ab his refici ſuſtinebimus: atque hoc magis odores efficere, dum ſunt naribus propinquiores. Tunc enim magis reſeruant rei, à qua deciduntur, naturã, quàm cùm per longius ſpacium vagãtes multo aeri commiſti, in multas partes diſsipantur. Hæc itaque, aut ſimilia habenda ſunt apud plenitudine grauatos. hoc enim pacto peruincũtur, & mites redduntur, neque amplius dolent arcta ſe viuendi ratione vinctos fuiſſe, vel ſi ingluuioſiſsimi ſuapte natura ſemper fuerint, quod facillimè cognoſcent talem ſibi neceſſariam eſſe viuendi normam. ſic enim fieri poſſe, vt crudi humores concoquantur, aperiantur viæ, ſpiritus ſuo munere fungãtur, auferatur de ſyncope, & ſuffocationę metus: quòd natura à ſuperfluo humorum pon-

Plin. lib. 7. cap. 2.

In li. de ſen ſu et ſeſibili

pondere exoneretur,& reſipiſcat.

¶ Circa Phlebotomiam verò,id eſt ſanguinis miſsionem per venæ cubiti ſectionem ,magis interdum, aut nihilominus laborandum. Quòd ſi nullo pacto in noſtram ſentētiam trahi poteſt, cui phlebotomiam inſtituimus,tunc vice phlebotomiæ vtendum eſt alio mittendi ſanguinis modo , ſiue per cucurbitulas,ſiue alia ratione , cum tenui victu,frictionibus,clyſteribus . Si trahetur quidem,at difficilè, debebit illi ſemper addi animus,quovſque miſſus illi ſanguis fuerit.Quare præſentem eſſe illic medicum velim,qui dum chirurgus parat quę ad ſanguinis miſsionem opportuna ſunt, narret mittendi ſanguinis neceſsitatē, quē tamen ſanguinem nominet nolim, ſed putridum ſanguinem, qui niſi educatur, citò totum corpus infecturus ſit:quia velut peſtis quædam in corpore lateat, & niſi maturè occurratur, irrepturus ſit per omnes partes.polliceatur ex tali putredine ex venis detracta,ſtatim ſanitatem conſequuturam, neque maiorem vllum dolorem brachio fore, quàm qui à morſu pulicis fieri ſolet,ictu oculi rem iſtam peragi , nihil tutius in arte medica exerceri,nullum remedium corpori humano præſtantius à dijs immortalib. datum . Quòd ſi quis obiecerit ex his qui contendere cum Medicis ſolēt, olim apud

De Phlebotomia.

Gal. in lib. de Purg. medic. facult. Thraces, eum qui herbam inuenerat, quam qui ſumeret ſanguinem vſque ad interitũ excerneret, obiectis oculis neci traditum, ne cui herbam illam vulgaret, quare ſanguinis detractationem antiquis diſplicuiſſe. *Gal. in lib. de curandi ratione per ſanguinis miſsionem. cap. 2.* Si Chryſippum Gnidium venæ ſectionem ex omni medicinalium præſidiorũ numero tollendam cenſuiſſe, necnon & Medium & Ariſtogenem eius diſcipulos, his etiã magis Eraſiſtratum: ſi oculis nocere ſanguinis miſsionem clamabit, & cętera huiuſmodi multa. Adhæc quidem omnia obiecta reſpondendum & promptè & breuiter, Aliud eſſe ſanguinem putridum expelli ex vena aperta pro conſeruatione ſanitatis, quàm miſerè totum vi quadam trahi vſque ad obitum. Chryſippo & cæteris eiuſdem ſectæ reſpondendum, ſicut reſpondet Galenus, non ſolùm in libello de Curãdi ratione per ſanguinis miſsionem, ſed etiã in libris methodi medendi ſæpe, & alibi. *Gal. lib. 8. meth. ca. 3. et lib. 13. cap. 16.* Demonſtrat enim aliquos in doctrina vel erronea malle viuere, & mori perſiſtendo, quàm veritatem ſequendo, propoſitum in actionibus mutare. id verò vel ruſtico quodam rubore fieri, quòd ſcilicet dimittere dogmata erubeſcant, quæ diutiſsimè ſeruarint, vel quia indelebile vitium eſt vehemens ignorantia, præſertim ſi cum ſuperbia ſit coniũcta. Falſum verò id eſſe, quòd oculis obeſſe di-

ſe dicatur, niſi immoderata admodum ſit: quod ſi moderata ſit, qualem nos illi molimur in præſētia, promittemus fore, vt quātum immoderata ſpiritus vacuando viſum hebetat, tantum moderatam redundantes humores demendo, & vapores qui ſurſum feruntur diſtrahendo acuituram, refocillaturamque. Interim poſtea peritus chirurgus paratis omnibus accedat, optimo ad hanc rem ferro delato, qui dum brachium tractat, hilaris ſit, nec formidet, ſed velut nullius momenti rem aggrediatur, conſtāti animo ſit. Cùm verò venam ſecuerit, digito ad exeuntem cruorem appoſito mirari ſe dicat, quo pacto tātus ignis, tanta putredo ſuſtineri ad eam diem in tali corpore potuerit, nec poſſe ſe caliditatem ſanguinis illius exeuntis perferre, nec cum tot annis venas ſecuerit deteriorem vnquam ſibi occurriſſe. His enim omnibus modis ita cōfirmabitur animus ægroti, vt nec timeat, nec triſtetur, neque iraſcatur. Sed non erit vllo modo prætermittendum illud, vt ſcilicet auertat oculos in ſectione venæ, cui ſanguis detrahendus eſt, ne in animi defectum incidat. quod ſi contigerit, reuocandus erit, vel frigida in faciem ſparſa, vel aceto naribus appoſito, & alijs huiuſmodi ingenijs, quibus in re tali vtimur.

¶ Magnum eſt etiam negocium, quod *De Pharmaco.*

m

circa medicamenta verſatur: nam præterquàm quòd conqueruntur quidam, ſe non poſſe ob inſuauitatem capere medicamentum, obijciunt etiam, vereri ſe, ne ſibi noceat, quòd audierint pharmacis purgantibus corpora conſeneſcere, nullamque ex illis vtilitatem prouenire.

Gal. li. 6. de comp. med. per loca cap. 3.

Aetius lib. 6. cap. 10.

Diluenda igitur hæc ſunt, nec concedendum quod de medicamentorum noxa effutiunt: Contrà potius rem ſe habere, eſſeq; vt Herophilus dixit, manus Dei medicamẽta, præcipuè verò ſi rectè, vt à nobis, exhibebuntur. Quoniam eiectis è corpore putridis humoribus, & his quæ ex eorum putredine generantur, vt vermes diuerſi, liberantur corpora ab humanæ vitæ hoſtibus, atque ex illo contagio, & iuueneſcunt potius. Quòd ſi etiam contingat, vt aliquis curationis tempore nihil adiuuari ſe ſentiat, tamen poſt eam roborata natura conualeſcunt, & magis magisque in dies proficere cernuntur. Quare permittant orãdi, vt corpora illorum impura mundentur, minimo temporis interuallo. Nam ſi vino quo pro corporis nutrimento vtimur vas argenteũ aureumque in menſis deſtinamus, vt mundum & delectabile ſit, quanto magis munditiem corpori deberi, quum ſedes animæ tam nobilis, corpus exiſtat? Ineunda autẽ aliqua ratio, qua inſuauitatem medicamenti ex-

ri exhibendi fugiamus (quod & Galenus nos monet) vt quamfacillimè fieri poteſt, ſumatur. fiet verò facilis exhibitio, vel ratione parandi pharmacum, vel ratione vaſculi in quo pharmacum, vel ratione eorum quę parata ſunt in aſſumptione pharmaci, vel ratione perſonæ propinantis pharmacum, vel ratione exhortationis quæ fit à propinante, & ab alijs aſtantibus. Ratione quidē parandi pharmacum, modum nempe inuenientes quo feſtinanter in ventriculum demittatur: qua in re opportunior bolo potatio ipſa eſt. ita enim & Hippocrates medicamenta dabat, vt ex eo Aphoriſmo cōſtat (Quum biberit quis elleborum, & quæ ſequuntur) atque ex alijs ſexcentis locis. Pilulatis etiam forma non incongrua, quia & ipſæ confeſtim deſcendunt pilulæ, & maximè ſi melle oblinantur. Sed & bolus auri folijs inuolutus facilè capitur, necnon & cum pane tenui, quo in myſterijs vtuntur, in iure, vel aliqua ſtillatitia aqua madefacto circundatus, & poſtea ſuper cochleare poſitus addito etiam pauxillo iure, aut aqua cochleari, vt lubricitatē adiuuet, q̄ primùm in vētriculum detruditur. omitto inuolutionem boli, quę cum ſaccharo fit, quę parabilior eſt. Summatim eo modo parari medicamenta debent, qui accepturo facilior videbitur. Quòd ſi omni diligentia ad-

Lib. 6. de comp. med. per loca c. 1

4. Aph. 14

hæc poſita conquerentur adhuc, tunc non ex coquina ea fercula proficiſci, ſed ex officina ſeplaſiariorum profitebimur.

Ratione vaſculi dupliciter, vel ratione materiæ (nam ſi aureum ſit aut argenteum magis placebit) vel figuræ, ſeu formæ. nam ſi tali figura ſit, vt per eam hæc duo conſequamur, nempe & quòd amaritudo rei deglutiendæ minimè ſentiatur, & quòd procliuis deſcenſus eius ſit, nemo erit qui non hoc cæteris anteponat. Talia porrò ſunt

Lib. 4. c. 57 duo illa, de quibus Paulus Ægineta auctor inter Græcos, omnium qui Galenum ſecuti ſunt, grauiſsimus, meminit, mirificamq; illam vocat medendi rationem, quæ his cũ inſtrumentis fit. Primum ergo coquinariũ quoddam inſtrumẽtum eſt (ψωμήρυσιν dicunt) quod ſupinis illis qui medicamenta ſumpturi ſunt detentis ori imponitur: deinde per clyſtiridion fortem habẽs auliſcon medicamentũ inijcimus quàm penitiſsimè tranſmiſſum.

Ratione eorum quæ fiunt in aſſumptione, & poſt aſſumptionem medicamenti: nã bombyce aceto intincto obturamus nares aliquibus, ne odore medicamenti ſtomachus ſubuertatur, vel cępas diſſectas afferimus, vt odore illius obſcuretur, vincatúrve odor pharmaci: panniculo in aceto pariter madefacto integimus ſupremam vaſis ſuperfi-

perficiem, ea parte ſecluſa, qua labra admo uenda ſunt, vt per eam abſorbeamus pharmacum. Sumpto dehinc pharmaco, omni ingenio laboramus, vt ne vomitione remittatur, quod fieri poſſet, niſi huic ſuſpicioni occurreremus, quum omnia purgantia medicaméta ſtomacho aduerſentur, ſola aloe excepta. Quamobrem pyra vel huiuſmodi cætera obijcimus his, qui medicaméta ſum pſerunt, vel vt eorum odore contenti ſint, ſi fieri poteſt, vel etiam vt illis dente demorſis, aſtrictio quædam acquiratur. collo præterea applicamus frigida aqua madidum panniculum. prodeſt alijs inſpergere frigidam ipſam in faciem vel roſaceam, alijs in tepida aqua manus continere. cucurbitalē interdum ori ventriculi affigimus, non tamen diutius illam perſiſtere illic permittimus. *Paulus lib. 7. cap. 4.*

Ratione perſonæ propinantis: nam ſi ſit valde amicus qui propinet, libentius vtiq; adducuntur homines ad pharmacum ſumendum, ſed præcipuè ſi puella aliqua formoſa id ipſum propinet manibus ſuis, aut iubeat.

Ratione demum exhortationis quæ fit à propinante, & ab alijs qui aſtant ægroto: nam ſi amicus ille, vel puella illa preces etiá blandas adhibeant, obteſtenturque per amicitiæ vinculum, vt pareamus, palàm pro

ſitentes ex his omnibus quæ unquam fe- cerimus,aut facturi ſimus nihil gratius ſibi fuiſſe, aut futurum eſſe, quàm ſi poculum hoc hilari fronte atq; animo ſumamus,non ſolùm talia,quæ & re & nomine medicamẽ ta ſunt ſtatim apprehenderemus,ſed etiam Socratis(vt ita dicam)poculum ab Athe- nienſibus illi interitus cauſa deſtinatum.

CAPVT IX.

De Medici perſona.

NEque verò minus poteſt Medici per ſona,quàm quæ maximè poſſunt ad ſumendorum remediorum perſua- ſionem, modò non ſermone ſolũ & fama, vt inquit Hippocrates,ſed re uera medicus ſit:quippe qui verè artis medicæ cognitio- nem ſibi comparauerit ex vniuerſaliũ theo rematum ſcientia & experientia clarus e- uaſerit ob longam in particularibus homi- nibus experientiam. His enim duobus ars medica conſtat: nam quemadmodum qui iter aliquod ingredi ſtudent, vtroque inui- cem vtuntur crure, & qui altero claudicat vno duntaxat vtitur,& longo ſpacio & ſæ- pe errans viam peragit: ita ſanè & qui finẽ cuiuslibet artis conſequi parat,duobus his veluti cruribus vti debet, ſcilicet in vniuer ſalibus theorematis methodo, in particula ribus

In lib. de Lege.

Gal. lib. 9. meth.med. cap.6.

ribus exercitatione.his enim inſigni medico exiſtente fides quædam mirabilis ægrotis de eo inhærebit,ita vt quæcunque imperaturus ſit,perinde fiant & maturè,& libenter,atque ſi ea facienda ſint, quæ Delphici Apollinis oraculum ſuadeat. Sed nec illud parui pendendum eſt; vt non immitis habeatur in medendo,ſed dexteritatis amicus,non inuitus ægrotis obſequens. quo enim ſeſe modo cum alijs ante medicum geſsiſſe audierit,eodem etiam dum ſibi medebitur inceſſurum putabit. Quòd ſi ab ægroto, aut aſper, aut imperitus cenſeatur, tunc medicus id animaduertens, omnium opinionem quæ de ſe ipſo apud eos eſt,adducet. Et primùm dum ſe ab aſperitate excuſabit, meminerit quæ aliàs gratificandi cauſa alijs conceſſerit,quare conſueuiſſe ſe parum deteriorem & cibum & potum, qui tamen ſuauior ægrotis foret, melioribus quidem, ſed minus ſuauibus præferre. eo magis quòd videret quæcunque cum voluptate ſumuntur,quæ paulò deteriora ſint, non modò non amplius manere deteriora ſed quandoque meliora reddi: quoniam iſta ventriculus amplexetur, & longè facilius concoquat,ſicut illa quę diſplicent,refugiat. Augebit verò rei huius fidem ſi dicet,maximæ ſibi curæ ſanitatem illius eſſe, vel propter amicitiæ nexum,vel propter a-

liorum, à quibus ſibi diligentiſsimè commendatus ſit, quibus omnia debeat, exhortationem: vel propter familiæ miſeriam futuram, ſi ipſe (de quo tamen nullum periculum) deficeret: vel propter probitatem ægroti ipſius. Pariter ſi iudicabit in ſui peritia non ſatis eſſe apud ægrotum fiduciæ, & hîc omnium de ſe opinionem ſpectandã rogabit, & quos antè ſanauerit nominabit, & quanto periculoſiores morbos abſtulerit, & ſe fruſtra accerſitum conqueretur, & niſi pariturus ſibi ſit, interminabitur ſe fortaſſe non amplius rediturum ad illius curã, quòd mederi ſolitus ſit his, à quibus officiũ ipſius imploretur. Quæ tamen omnia ita dici velim, vt nec metum, nec triſtitiam, nec bilem in ægroto concitet: nam (vt inquit ille)

In uitium ducit culpæ fuga, ſi caret arte.

CAPVT X.

De Perſona eius cui remedia ſuſcipienda ſunt.

QVoniam verò contigit aliquando, vt quibus remedia propoſita ſint, & ipſi ſemper fortitudinem profeſſi ſint in vita ſua inſtituenda, & alios tales vt eſſent hortati fuerint, apud que omnes quoque fortes habiti ſint, iccirco cum

co cum eos ad capeſſenda remedia hortabimur, fortitudinem illam obijciemus: obijcientesque primùm dicemus fortitudinem veram circa terribilia verſari, non dico egeſtatem, exilium, inimicitias, morbos infamiam, quòd leuia omnia hæc ſint: ſed circa maximè terribilia, qualis eſt mors, atque ea quidem in bello pro communi vtilitate ſuſcepto. Deinde demonſtrabimus, nullum prorſus in eo fortitudinis iam ſupereſſe veſtigium. Nam qui nequeat paulò tenuiorem victum, quàm conſueuerit, ferre, quid credendum nobis fore, ſi ſe maioris continentiæ offerat occaſio? Qui poculum medicinale tam facile, tam concinnũ, tam benedictũ labris admouere formidet, quid facturum putabimus, ſi letale poculũ ſumendum? quod tamen plærique non ſolùm fortes viri, ſed & alij, quos nemo fortes antea habuerit, promptiſsimè hauſerint. Qui in pauci ſanguinis ex vena tantillum aperta miſsione reluctetur, in qua ſita ſit tota, & certa ipſius ſalus, quanto magis formidaturum hunc vulnera conijciemus, ex quibus copioſus ſanguis ex confoſſa aliqua corporis parte cum vitæ periculo effluere ſolitus ſit? Quare amiſiſſe nos eam nũc fidem propemodum, quem de ipſo conceperamus, vociferabimus. Nam qui in thalamo timidus reperitur, remotis arbitris,

quomodo hunc nos in caſtris, & bello fortem eſſe poſſe credemus? Qui hauſtum rei alicuius, vel bolum, quem ipſe amariuſculum duntaxat habeat, tantopere deuitet, quomodo hunc nos morti ſeſe expoſiturū vnquam arbitrabimur? Qui propriam vtilitatem ſeruare nō poteſt, quomodo hunc communi vtilitati profuturū ſperabimus? Qui tandem ipſe forti animo deſtitutus ſit, quomodo hunc poſſe alijs animum vnquā addere? Quòd ſi dixerit, nolle ſe remedia medicinalia pati, eo quia contemptui ea ſibi ſint omnia, neque ſe de obitu ſuo quicq̄ vereri, niſi ea perpetiatur: Qui enim maiora ſuſtinuerit, poſſe hunc, & febriculam, & cætera huiuſmodi incommoda ſuſtinere, Tunc ſanè ita dicere non fortis eſſe, ſed audacis demōſtrabimus, ſed ita vt ne ad iram concitemus homines, quòd & aliàs monuimus.

CAPVT XI. ET VLTIMVM

De Auctoritate ſcriptorum.

MVltifariam ſuprà docuimus varios perſuadendi modos, quibus allici ad capienda remedia homines poſſint: reſtat modò vltimo hoc capite, vt ab auctoritate ſcriptorum idipſum tentemus. Sic enim omnium fontiū, de quibus ſuprà di ctum

dictum eſt, pertractationẽ compleuerimus Non abſurdum itaque nobis videtur, vt veterum auctorũ ſcripta (auctores vocamus qui aliquid arti addiderunt) citẽtur. & quãtum in illis momentum eſſe debeat oſtendendum. Quoniam verò multi admodũm ſunt medicinæ auctores, ſatis erit ex Hippocrate, Dioſcoride, ac Galeno loca aliqua ad remediorum vſum nos impellentia depromere. Hippocratis igitur præceptum eſt, Morbis remedia vſui eſſe, & leuibus quidem leuia, extremis extrema. Ea porrò ipſa opportunè admouenda, quoniam ὀκαιρὸς (vt ipſe inquit) ὀξύς. Quamobrem medendum in valde acutis, ſi materia turget, eadẽ die monet, nec morã in talibus, quòd periculoſa ſit, contrahendam. 1. Aph. 6.

Dioſcoridis eſt etiam aureum illud, Satius multo eſſe medicamẽtorũ inhumanos tolerare cruciatus, quanuis in vanum recidant, quàm per inertiam ac deſidiam in diſcrimen adduci. Lib. 6. c. 3.

Galeni pariter infinita ſunt in hanc ſententiam oracula, ne dogmata dicam, quorum ex numero afferendum vnum in medio cenſui pro præſeruatione traditum, vt quanto magis remedia adhibenda pro curatione ſentiat facilè colligamus. Eius itaq; talia ſunt in libello de Purgatione verba: In princip. Qui ſani adhuc ſunt, verùm ægrotaturi niſi

fuerint euacuati, Vere ineunte ſtatim inani ri debent vel ſanguinis miſsione, ſi morbis ab humorum copia procuratis, quos πληθωρικοὺς vocant, corripiátur, aut purgatione, ſi ex corruptione factis confligentur. Hęc ergo aut ſimilia adducenda ſunt ex auctoribus dicta, mox quantum in illis momentū eſſe debeat oſtendendum. Quod ſanè rectè fiet; Imperatorum ac Medicorum legibus inter ſe comparatis. Imperatorum planè leges circa externa bona verſantur, quæ cuiuſque ſunt vnicuique tribuentes, domos, agros, & cætera huiuſcemodi. Quæ verò medicorum leges ſunt, circa corporis bona ſunt omnes, ſanitatem eius conſeruantes præſentē, & amiſſam reſtituentes. Quátum verò plus ſit ſanitatem corpori præſtare quàm externa bona, omnes norunt. Quá obrem cum videamus ratas ac firmas eſſe Imperatorias ipſas leges, & ſumma ab omnibus veneratione coli, nec cur quicquam in illis hoc vel alio modo ſtatutum ſit, quęri, cur non & medicorum legibus mométi tantū inerit, vt firmæ ſint, vt colantur, vt de illis nemo ambigat: præcipuè verò cū qui Imperatorias leges conſtituere Philoſophi medicas quoque conſtituerint? qui nanq; medicus eſt, idem & philoſophus. Sed nihil fortaſſe rectius, quàm de auctorum ſcriptis loquentes, quid in hac re Galenus ſentiat affe-

ramus. ille igitur quodam loco hęc ipſa ver ba habet: Quando in viri ſapientis libro ſer mo inuenitur aliquis, manifeſtum habens mendacium, non ſine ratione legentes con tingit dubitáre, & primũ quidem ſibijpſis diffidere, quaſi neque illa quæ ſint manife-ſta noſcentibus, deinde ſuſpicari, ne quod falſum fuerit interiectum. Quòd ſi vel in rę tali, ob reuerentiam auctorum, non eſt ob-loquendum contra illos, quid ergo cùm ex omnium conſenſu approbata præcepta tra dunt, faciundum? nõne acquieſcendum eo rum dictis? nonne amplectenda omni ſtu-dio quæ nobis imperant? Sed iam operi fi-nem imponamus licet. Tractatum nanque eſt, quatenus ad vitam humanam confert, de Animi affect. Suppoſito enim eo quòd apud omnes conſtat, nempe humanæ vitæ hoſtes eſſe illos animi affectus de quibus egimus, nos ſanè hominem ijſdem propor tione armis induimus, quib. aduerſus eos certare poſsit, quibus vnuſquiſque armari ſolet, cùm pugna illi ineũda cum hoſte eſt. Præſeruationem nanque clypei loco tradi-dimus, quo venientes animi affectus, reij-ciat: Curationem verò vice gladij quo iam impactos reſecet. 6. Aph. 34.

LAVS DEO.

I N D E X

Eorum quæ magis notatu digna in opere continentur.

ANIMAE & corporis mutua redactio pag. 15
Animum ægrotum fieri, ſicut & corpus 19.23
Affectus animi ægrotantium 24
Affectuum animi poteſtas 23
Affectus animi remoueri cum triplici remediorũ genere 33
Animi affectus quomodo corpori communicentur 21
Affectus animi contingentes in uſu remediorum medicinalium 133
Affectus animi non eſſe neque uirtutes, neque uitia 16
Affectibus animi an adhiberi modus poßit 17
Affectus animi dupliciter compeſci ſecundum Epicurum 71
Affectuum animi ſedandorum fontes, unde ſumuntur 133
Affectus animi ex corporis pulchritudine inter mares et fœminas 121
Animæ rationalis immortalitas quomodo oſtenditur 9
Affectus animi alio modo à Rhetoribus, *alio à* Medicis, *alio à* Philoſophis *conſiderari* 13

Affectus animi definitio ex Philoſophis eod
Affectuum animi genera eod.
Animi affectus quam ponant inter Stoicos et Peripateticos diſcordiam 16
Animi bona quæ ſint 103 (103
Animi bona non poſſe acquiri niſi quinque adſint
Animæ facultates ſeu partes quot 4
Affectus animi apud Chryſippum 23
Audacia unde ortum habeat 56
Adulatores cur inuenti 69
Adulatores aliqui principum ueterum eod.
Aer optimus qualis 70
Apollodorus Athenienſis 85
Aeris mutatio cur à Medicis inſtituitur 92
Aer optimus in quo clymate ſtatuendus ſit 115
Antiqui ſanitatis ſtudioſi 55
Ars duplex circa duplex pulchritud. genus 124
Ars exornatoria in quo conſiſtat eod.
Artis comptoriæ ſcopus eod.
Auctor quis nuncupandus 171
Auctorum ſententia in remedijs ſumendis 171
Auctorum ſcripta quanti facienda 172
Anima rationalis Galeno modò corruptibilis, modò incorruptibilis 7
Animæ rationalis interitum quomodo Galenus perſuadere conetur eod.
Aetatis liberorum diſtributio apud Antiquos in

eorum educatione. 58
Aegritudinis miſeriarum enumeratio. 148

B

Barbæ productio ob menſtrua ad os ſublata. 58
Brutorum animalium diligentia in uſu remediorum pro ſui ſalute 144
Balbutire quid ſit 128
Balbutiei cauſæ eod.
Balbuties quæ non diſpliceat 127
Balbutiei cura 129
Beneuolentia quid ſit 107
Bonorum genera tria 103

C

Corporis humani conſtitutio & fragilitas 136
Corporis humani corruptionis ſeminaria in utero materno eſſe 138
Ciborum materia unde petenda 113
Corporis proceritatem naturalem & artificialē eſſe 127
Comptoriæ artis ſcopus 124
Concoctionem opus ſacrum eſſe 156
Cibi melancholici qui ſint 94
Cibi laudabiles quales 95
Cibos prauos fugiendos eſſe 96
Coitus qualis melancholicis conuenit 99
Corporis bona quæ ſint 103
Corpus humanum alterantia quot ſint 45

Ciborum bileſcentium enumeratio 49
Cibi menſura unde ſumatur 51
Cordis facultas duplex 20. 56
Corporis malorum præſeruatio per philoſophiã moralem 65
Conſtantiſsimi in doloribus 66
Cura quomodo nocet corpori 70
Cerebrum roborantia 74
Corroborantia eod.
Cautio quid ſit 77

D

Doſorum conſtans tolerantia 65
Diæta quid ſit ex uulgi ſententia 133

E

Exhilarationi inducendæ confectio admodum opportuna 74
Educationi uim maximam ineſſe 82
Educatio liberorum apud ueteres uaria ex ætatis uarietate 36
Educatio puerorum quibus committenda ſit 82
Exercitationis uis quanta ſit 44. 88
Externa bona quæ dicenda 103
Externorum bonornm acquiſitio 110
Exemplorum uis ad perſuadendũ quanta ſit 148

F

Furor quid ſit, & quo differat à phrenetide 57
Furoris præſeruatio & cura 58

Fidu-

Fiducia unde oriatur 59
Febrium genera quot ſint 114.115
Fortis uir quomodo ad remedia medicinalia adducendus ſit 168

G

Gracilitatis cauſæ 119

H

Hominem animal ciuile eſſe 107
Hominis dignitas quanta ſit 1
Homini quæ cara ſint præcipuè 142
Hominis cura de rebus ſibi caris maxima 143.144
Hominis negligentia in ſui conſeruatione 147
Hominis conſeruationi quantum inuigilauerit Galenus 4
Hominis ſtructura diuina 4
Hominis conſeruandi cauſæ aliquot 135

I

Ira quid ſit 26
Iræ cauſa 30
Iram in homine tripliciter intelligi 32
Iratorum accidentia ſæuiſsima 33
Ira an concedatur à Theologis 34
Iræ præſeruatio per philoſophiam moralem 35 *&* 37
Iratorum facta pœnitentiam ſubſequi 40

Iræ curatio quot præceptis abſoluatur 41
Iræ uictores nonnulli 44
Iræ præſeruatio per medendi Artem 47
Inediæ effectus qualis 52
Iecur obſtructionibus obnoxium 54
Iecur roborantia 74
Inuidia quid ſit 102
Inuidiæ partes ſubiectiuæ quot eod.
Inuidendi actus quomodo ſit 103
Inuidi nonnulli 104
Inuidia quantum ſupplicium ſit 106
Inuidus & indignans quomodo differunt 105
Inuidiæ remotio per philoſophiam moralem 107
Inuidorum ſigna nonnulla, & accidentia 105
Inuidia ex qualibus corporis bonis conflatur 110
Inuidiæ remotio per medendi artem 111
Intemperies ſine, & cum materia 114
Indicationes curatiuæ 116. 117
Intemperiei ſine materia, & cum materia in parte, & in toto curatio 117
Inuidia fœminarum, ex quibus, & quot fontibus oriatur. 126. 127

L

Libido quid ſit 14
Læſionem fieri triplici modo, & ſingulum quenque modum læſionis trifariam contingere 30

Me-

M

Medicum corporis eſſe medicum per ſe, ex accidenti etiam animi 25
Medici perſona qualis 166
Medico neceſſaria quæ eod.
Medicus quomodo nec aſperum, nec imperitum ſe eſſe oſtendit ægroto 166.167
Medici muenta pro hominis utilitate 2
Medici ſtudium circa hominis tutelam 2.3
Medicum uti ſenſu duce & dum fit, & dum factus eſt 10
Medicinalium & Imperatoriarum legum comparatio 172
Medicamentorum iuuamentum tardè aliquando uideri 162
Medicamenta quid ſint ſecundum Herophilum. eod.
Medicamentorum quomodo ſuadenda tolerantia eod.
Medicamentorum exhibitio facilis 163
Medicamentorum retinendorum ratio 165
Medicamenta Antiquorum, & recentium 151
Medicamenta formidantes 159.160
Morborum genera quot ſint 112
Morborum cauſæ quot ſint 116
Melancholicum humorem uacuantia 76.95.96.97.98
Melancholicus humor quis dicendus 84

Melancholia quid ſit, & quomodo diſtinguatur ab humore melancholico 84.85
Melancholiæ ſpecies quot 85
Melancholici aliqui cur ſe interficiunt 87
Melancholicorum uiſa diuerſa eod.
Melancholiæ præſeruatio per philoſophiam moralem 88
Melancholiæ præſeruatio & cura per medendi artem 92
Melancholicis uinum opportunum quale 95
Melancholicorum domeſtica balnea 99
Melancholicis quibus balnea naturalia uſui ſint eod.
Motus quomodo calorem facit 47
Metus quid ſecundum Stoicos ſit 76.77
Metus ſigna, quot & quæ ſint 77
Metum comitantia ſymptomata 77.78.79
Metus mortem quomodo inducit 78
Metui quinam magis ſubijciuntur 79
Metus cauſæ quot, & quæ ſint 80
Metus præſeruatio & cura per Philoſophiam moralem 82
Metus quomodo generatur 86
Mœſtitia quando ſit eod.

N

Naturæ inſtrumenta pro nutritione ſingularum corporis partium 52

Natu-

Naturæ uis quanta ſit 88
Naturam non deeſſe corporis humani neceßitati 152
Neruos roborantia 75

O

Obſtructionum cura 55
Opum contemptores 64.65
Obeſitatis cauſæ 119
Odoris uis num tanta ſit ut corporis partes nutriat, an ſpiritus duntaxat reficiat 158

P

Philoſophiæ moralis in tres partes diuiſio 35
Patientiæ quomodo aſſueſcendum ſit 42
Philoſophiæ moralis uis in cohercenda melancholia 89
Pulchritudo beneuolentiam conciliat 122
Pulchritudo corporis duplex 125
Phlebotomiam timentes 158.159
Phlebotomiæ tolerantia quomodo ſuadenda. 159
Phlebotomiæ utilitas ſumma 160

R

Roborantia uentriculum 75
Remedia medicinalia 138
Remediorum medicinalium neceßitas 139

Remediorum medicinalium utilitas 148.149
Rerum omnium utilitas,ratione ad hominem habita 143.144.*&* *per totum cap.*
Remediorum medicinalium utilitas, & commoditas 151
Repletionis nimiæ effectus peſsimi 155

S

Sceptrum Regium quale effectum ab Antiquis 45.46
Saturitatis effectus euidentiſsmii 52
Senſuum exteriorum exhilaratio quomodo inuenienda 73
Somnum humectationis cauſam eſſe 98
Sanitas quid ſit 111
Sanitatem lædentia eod.
Sanitatis conſeruatio & conſtitutio eod.
Sanitatis ſcopi duo 113
Solutionis continui ſpecies 115
Solidæ partes corporis duplices 126
Sectatorum pertinacia 160
Sanitatis commoda & ſolatia 141

T

Temperaturæ calidioris cauſæ quot 50
Triſtitia quid,ſecundum Chryſippum & Epicurum 62.63
Triſtitiæ cauſæ 63
Triſtitiæ ſigna eod.

Triſtitiam quomodo Chryſippus nominauit 93
Triſtitiæ præſeruatio & cura per Philoſophiam moralem 64
Triſtitiæ cura per moralem Philoſophiam,& per medendi artem 68
Triſtitiam motus aufert,ſed qualis 71
Temperantia Romanorum Priſcorum 155
Tumorum genera præter naturã, præcipua quæ ſint 138

V

Vinum quibus à Platone interdictum & conceſſum ſit 49
Voluntas quid ſit 14.15
Virtus fortes animos facit 81
Ventriculum roborantia 75
Virium conſeruatio,& acquiſitio 118
Velocitati quot neceſſaria ſint 120
Velocitatem impedientia 121
Viuendi ratio Antiquorum,& recentium in cibo & potu 137
Victus tenuis tolerantia quomodo ſuadenda 157
Ventriculi uſus,figura & ſubſtantia. 156

FINIS.